NINO

AMMINISTRAZIONE DELLA PROVINCIA
DI TORINO

BIBLIOTECA

R. - b - 14

SYNODI VERCELLENSES TRES

NONA, DECIMA, ET VNDECIMA

I. FRANCISCO BONHOMIO

EPISCOPO VERCELLENSI

GREGORII XIII. PONT. MAX.

APVD RODVLPHVM IMP.

Internuncio Apoſtolico celebratæ.

MEDIOLANI,

Apud Pacificum Pontium. M. D. LXXXV.

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA

I. FRANCISCVS

DEI, SEDISQ. APOSTOLICAE GRATIA
EPISCOPVS
S. ECCLESIAE VERCELLENSIS
ET COMES
NVNCIVS APOSTOLICVS
CLERO POPVLOQ. SVO

Salutem in Domino.

SINGVLARIS erga uos charitas noſtra fecit, ut è legatione, quam Gregorii xiii. pontificis optimi, maximi nomine apud ſereniſsimum Imperatorem, Rodulphum Cæſarem triennio geſsimus, ſumma hyeme, difficillimo itinere, maximoq. incommodo, Vercellas prius ueniremus, quàm Coloniam, ubi, aliiſq. Germaniæ inferioris locis, internuncii etiam apoſtolici munus nos iuſſu pontificio obire oportet. In hac noſtra eccleſiæ Vercellenſis ſtatione dies aliquot manſimus: multaq. egimus, quæ à nobis potiſſimum agi debere, et paternæ dilectionis officium, et uigilantiæ paſtoralis ratio poſtulabat. Verum, quod ſæpenumero polliciti ſumus, quodq. maximopere expetimus, uobis adhuc nos per ſummas occupationes præſtare, haud quaquam licuit. Nondum enim in lucem ſynodales conſtitutiones emit-

tere potuimus, in quibus magnum eccleſiæ Vercellenſis noſtræ bene gerendæ præſidium poſitum eſſe arbitramur. Næ eius ſane operis neceſsitas ſollicitudinem noſtam ualde admodum urget, ſed non longe etiam minus inſtat abundantia charitatis, qua uos eximie diligimus. Quamobrem in poſterum nunquam diligentiam, quæ ad illius perfectionem adhiberi poteſt, nimiam putabimus. Et uero quamquam iſtiuſmodi lucubratio multarum uigiliarum eſt, longiq. temporis, cum multa et uſu comperta, et explorate cognita, ad rem abſoluendam opus ſint: nihilominus tamen, quod ad induſtriæ noſtræ paſtoralis partes, quodq. ad amoris, ac dilectionis paternæ officium unquam pertinere exiſtimabimus, id omne deinceps experiri, præſtareq. ſtatuimus, ut tam neceſſariam operam, atque opus eccleſiæ noſtræ nauemus. Iam ſane antea in Caroli Cardinalis S. Praxedis, Metropolitani noſtri, ſumma maximarum uirtutum laude admirandi, ſtudio ardentiſsimo, uigilantiaq. incredibili conquieſcere poteramus, merito quidem et optimo iure, cum non ſolum nos, qui in huius prouinciæ flore luceq. uerſamur, ſed omnes rei publicæ chriſtianæ nationes, per quas illius nomen, ad eccleſiaſticæ diſciplinæ ſplendorem, et ad ſempiternam omnem laudem inſigne, cum omnium, admiratione uagatur, præclaram eius charitatem, egregiam pietatem, ſingularemq. ac plane diuinam in omni ad

ni ad

ni adminiſtratione ſapientiam perſpectam habuerint. Verum is, à Deo uocatus, ex hoc ſœculo abiit: nemo plane quiſquam eſt, de rep. catholica bene ſentiens, quin uideat, quantam iacturam omnes potiſsimum prouinciæ huius eccleſiæ fecerint, præſertimq. Vercellenſis, quam cum non tantum pietatis uetuſtate, ſed ſanctiſsimis aliis, iuſtiſsimiſq. cauſis coniunctiſsimam, perpetuo habuerit, eius cauſa non modo antea ſemper, uerum etiam in extremo fere ſpiritu, labores, omni paterni officii genere cumulatos, conſtantiſsime ſuſcepit. In hoc igitur detrimento, et damno, quod magnum ex tanti Archiepiſcopi, parentiſq. optimi obitu ſentimus, maiuſq. fortaſſe, niſi Deus nos reſpexerit, in dies experiundo ſentiemus, elaborandũ nobis eſt, atque omni epiſcopalis induſtriæ contentione enitendũ, ut quas utilitates, uel ſynodis prouincialibus celebrandis, uel Archiepiſcopalibus lucubrationibus ad prouinciæ uſum proferendis, uel exemplis uirtutum edendis, uel aliis denique diſciplinæ ſanctiſsimæ rationibus conquirendis, olim nos ex maximis illius laboribus, ſumma uigilantia, exquiſitiſsima ſollicitudine, rectiſsimiſq. curæ ſuæ Archiepiſcopalis officiis capiebamus: eas aſsiduitate noſtræ quotidianæ diligentiæ, non tantum aliquo modo tueamur, ſed ſummopere reſarciamus, excitati memoria, recordationeq. uigiliarum ſapientiſsimi illius, religioſiſsimiq. Archiepiſcopi,

qui

qui neceſſario hoc tempore tam triſte nobis reliquit deſiderium uirtutum ſuarum. Itaque dabimus demum uobis, ut diligentiſsime poſſumus, pabulum conſtitutionum noſtrarum ſynodalium: in quibus quaſi adumbratam etiam cernetis imaginem dilectionis, quam ſanctam perennemq eccleſiæ Vercellenſi debemus. Vos interea utimini, fruimini prȩter cæteras, quas edidimus, his etiam ſynodis, nempe nona, decima, et undecima. Id uero ſperate fore, ut cum ſynodorum curſus in eccleſia Dei perpetuus eſſe debeat, has aliæ quoque, adiutrice diuina gratia, deinceps ordine conſequentur, non ſine magno perpetuoq. diœceſis Vercellenſis beneficio. At uero in his ipſis, ut in aliis, quemadmodum nobis nihil aliud propoſitum eſt, niſi et Dei gloria, et ueſtra ſalus, ueſtraq; ſpiritalis utilitas: ita uobis nihil magis in optatis eſſe poteſt, ac debet, ut charitatis erga uos noſtræ ſtudia, laboresq compenſetis omni obe dientiæ, atque executionis officio. Valete in Domino: à quo cœleſtium benedictionum cumulum uobis continenti oratione precamur. Dat. Vercellis. IV. Idus Feb. M. D. XXCV.

DECRETA

DECRETA
EDITA, ET PROMVLGATA
IN SYNODO DIOECESANA
VERCELLENSI
NONA
HABITA ANNO A CHR. NAT.
M. D. LXXXII.

Reuerendiſs. D.D. I. Franciſco Bonhomio
Epiſcopo

Gregorij XIII. pont. max. apud Rodulphum Cæſarem Internuncio.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

NOs Ioannes Franciſcus, Bonhomius, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellarum, et Comes, ad Dei omnipotentis, beatæq. Mariæ, ſemper uirginis, ac ſancti Euſebii Epiſcopi, et martyris laudem, hæc pro chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum, populumq. fidei noſtræ concreditum, prælucere, totis in Chriſto uiſceribus expetimus, in noſtra ſynodo diœceſana nona decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

DECRETVM. I.

QVàm plurima ſunt, et illa quidem ſanctiſſima officia, quæ ſacris litteris conſignata, ſacroſanctis conciliorum decretis ſancita, et patrum doctrinis, uſuq. tradita, Epiſcopus Eccleſiæ, ſibi commiſſæ præſtare debet omni quàm uigilantiſſimo ſtudio. Nam cum illud diuinitus ſcriptum ſit, deteſtabilem ſcilicet eſſe, ac maledictum hominem, qui opus Dei facit negligenter, certé eccleſiæ antiſtiti, quē in muneris ſui cura euigilare, atque excubare perpetuo oportet, maximopere uerendum eſt,

ne, ſi quando partes ſuas remiſſo, et langueſcenti ſtudio agit, aut eas prætermittendi cauſam aliquam prætexit, iſtius negligentiæ, atque negligentis diligentiæ, et officij ita intermiſſi rationem Deo tandem reddat, cum functiones deſeruerit, aut omiſerit muneris ſui proprias, curæq. epiſcopalis rationibus, atque uſui neceſſarias. Illud porrò certum, atque exploratum eſt, maiores noſtros, ſanctiſſimos uiros, quorum exemplis, ac documentis, quaſi firmis præſidijs inſtructi eſſe debemus ad rem eccleſiaſticam ſalutariter, beneq. gerendam, paſtoralis animi zelo, perennisq. ſollicitudinis ardore flagrantes, nullum in omni uita cuiuſquam rei, ſibi commiſſæ reliquum feciſſe: uſque adeo, ut cum præſentes, tum uero abſentes, quo uidelicet tempore ob eam cauſam aliquando liceret, nunquam paſſi ſint, ab ſe præteriri, ac relinqui, quæ præſtare, uel Deo, uel clero, uel populo, uel eccleſiæ debuerant. Immo Gregorius Pontifex, ſanctitatis, et doctrinæ nomine illuſtris, et ſtomacho laborans, ſi quando in baſilica adeſſe non poterat, populum abſens pauit homelia, quam, ab ſe, pro ratione temporum aptè dictatam, diaconus in eccleſia fidelibus aptè diſtinctèq. pronunciaret. Hanc paſcendi diſciplinam cum alij plerique patres adhibuerunt, tum uero is, cuius locum cathedramq. nos indigni tenemus, Euſebius beatiſſimus martyr, et Epiſcopus, præcipuusq. eccleſiæ Vercellenſis patronus, maxime ſeruauit, dum, in exilium pulſus, longe ab ea abſuit. Et porrò Epiſcopus Myrenſis, epi-

ſcopa-

ſcopalis officij laude celeberrimus, Nicolaus ſanctus, cuius ſacro natali die nos in lucem hanc editi ſumus, cum ſibi præſcripſiſſet, ſynodum quotannis ſtata quadam die habere, ne abſens quidem ei officio defuit. Nos igitur, quibus negligentiæ pœna grauis propoſita eſt, cum omnem diligentiæ cautionem in officij noſtri adminiſtratione adhibeamus neceſſe ſit, exemplo præſertim adducti ſanctorum patrum, Euſebij in primis, et Nicolai, quorum facta, quantum Deo iuuante poſſumus, tandem eniti debemus, ut præcipuo ſtudio imitemur; in eam plane deliberationem uenimus, ut cum cetera omnia officia, quæcunque eccleſiæ noſtræ Vercellenſi, quam totis in Chriſto uiſceribus, unice diligimus, ab illius paſtorali ſtatione ob legationem apoſtolicam, aut ob aliam iuſtam, probatamq. cauſam in poſterum abſentes præſtare poſſumus, ea nullo modo prætermittamus, ſed uigilanti ſollicitudine, quantum in nobis eſt, ſalutariter præſtemus: tum uero synodum diœceſanam anniuerſariam, cuius celebrationem ex concilij Tridentini decreto, nobis, certa conſtituta die, præſcripſimus, omnino ad conſtitutum tempus, etiam abſentes, de more habeamus, atque celebremus. Quamobrem hoc decreto perpetuo ſancimus, cum hæc firma ſit, fixaq. animi noſtri deliberatio, et alijs etiam decretis noſtris synodalibus explicata, Vicarium noſtrum generalem, aliumùe, quem nominatim huic synodali actioni, noſtro nomine, præeſſe ſtatuerimus, ſi quando nos abeſſe contigerit, synodum diœceſanam no-

ſtram ad conſtitutam diem, de more rite, rectèq. atque ex decretis conciliorum prouincialium, quinti præſertim, eo de genere editis, habere, celebrareuè. Speramus autem, Deo iuuante fore, ut, qui nobis deinceps Epiſcopi ſucceſſerint, pro epiſcopalis officij munere, proq. eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo, hoc inſtitutum, diuturno uſu noſtro quotannis retentum, perpetuo teneant, et tueantur quàm diligentiſſime.

DECRETVM. II.

SOlemne eſt, ritualiumq. librorum monimentis traditum, atque uſu perpetuo comprobatũ, orationem, quàm mox infra de uerbo ad uerbum, huic decreto adſcriptam eſſe cenſuimus, cum ſemper initio ſingularum ſeſſionum synodalium, nempe inter pſalmum, et precationem, quæ ante litanias recitatur, tum etiam ſeſſionis, quæ interrupta eodem die continuatur, itidem principio ab Epiſcopo intima deuotione de libro pronunciari. Nos igitur, qui eccleſiæ Vercellenſis, in curam nobis traditæ, actiones, et monimenta omni ſacrorum rituum ornatu, ſanctæq. eccleſiæ catholicæ inſtitutis condecorari uehementer cupimus, omniaq. abſentibus etiam nobis, recte, rite, ac religioſe præſtari ſtudemus, huius diſciplinæ ſpiritu excitati, et illius ſancti inſtituti uſu adducti, decernimus, eam ipſam ſtatam orationem, quam in synodis de ſpiritu ſancto dici ſolẽne fuit, ut ex patribus animaduertimus, in omni synodo diœceſana noſtra, ſeſſionis

cuiuſ-

cuiuſcunque, etiam interruptæ initio, abſente Epiſcopo ab eo qui illius nomine synodo præſidet, de more rite pronunciari: quæ dum tota pronunciatur, reliquus omnis clerus synodalis, qui præſens adeſt, genibus humi flexis, atque adeo proſtratus, attentiſſimis animis, piaq. mente, preci, orationiue, quæ de ſpiritu ſancto dicitur, affixus, tacita meditatione implorare ſtudeat diuinam opem, qua synodalium deliberationum ſalutaris omnis progreſſio, atque exitus adiuuetur.

Congregationum præterea, quæ de ſanctæ inquiſitionis officio, de criminum cauſis grauioribus, de parochialium eccleſiarum cura committenda, de ſententia cauſæ grauioris ferenda, de rerum, quæ magnæ erunt, deliberationibus, habebuntur, initio ſtata ea oratio ab eo, qui præerit, ritè, ſancteq. recitetur.

Itidem fiat in canonicorum Capitulis, cum de electione, inſtitutioneuè eius agetur, aut deliberabitur, in quem alicuius beneficij eccleſiaſtici cura, adminiſtratiouè conferatur.

ORATIO.

AD ſumus, Domine ſanctè ſpiritus, adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati. Veni ad nos, et eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quò gradiamur, et oſtende quid efficere de-

bea-

beamus, ut te auxiliante, tibi complacere, in omnibus ualeamus: eſto ſalus, et ſuggeſtor, et effector iudiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo patre, et eius filio nomen poſsides glorioſum. Non patiaris perturbatores nos eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem: ut in ſiniſtrum nos ignorantia non trahat, nõ fauor inflectat, non acceptio muneris, uel perſonæ corrumpat: ſed iunge nos efficaciter tibi, ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, et in nullo aberremus à uero. Quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam, ut et hic in nullo à te diſſentiat ſententia noſtra, et in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Amen.

DECRETVM. III.

QVod utiliter, et ueteris diſciplinæ inſtituto congruenter cautum eſt, id pro epiſcopalis muneris ratione exequi debemus, ut accuratiſſime poſſumus. Quamobrem illa antiqui canonis cautio de indictione certi diei, synodus prouincialis proxima futura ſit, ſapienter iampridem decreto concilij Mediolanenſis quarti renouata, ut in eccleſia, et diœceſi noſtra Vercellenſi debitam executionem habeat, ad eiuſdem decreti præſcriptum, hæc ſancimus, et conſtituimus.

Pri-

Primum concilij prouincialis, proxime futuri, dies a Metropolitano conſtituta, atque indicta in eccleſiæ noſtræ Vercellenſis calendarium, quod eo tertio anno edetur, in quem illius concilij celebritas proxime cadit, loco ſuo referatur, conciliariſq. ille dies litterarum impreſſione rubra notetur. Deinde calendis Ianuarij, qui dies circumciſioni Chriſti Domini dicatus eſt, populo frequenti, intra Miſſarum ſolemnia, de more denunciationis aliarum ſolemnitatum, illius concilij, ſtatiq. diei celebritas, ſignificetur, et denuncietur. Poſtea demum duobus ante conſtitutam illius diem menſibus, eccleſiæ noſtræ cathedralis, et baſilicæ ſanctæ Mariæ maioris ualuis, alijſq. urbis, et diœceſis noſtræ locis, ubi edictorum noſtrorum promulgationem fieri moris eſt, denunciationis conciliaris ſchedula, grandiuſculis litteris conſcripta, cancellarij noſtri ſubſcriptione, et ſigillo noſtro epiſcopali ſancti patroni Euſebij martyris communita affigatur his uerbis, eodem decreto prouinciali conceptis, et præſcriptis.

Concilium prouinciale Mediolanenſe, per Reuerendiſsimum Archiepiſcopum, decreto edito, et promulgato, indictum. et conuocatũ hoc anno , die menſis Deo auxiliante, Mediolani in Metropolitana Eccleſia de more inchohabitur, et celebrabitur.

Quæ conciliaris actio ſingulis præterea tribus Dominicis diebus, concilij diem proxime antecedentibus, ab unoquoque

quoque parocho tàm urbis, quàm diœceſis, intra Miſſarum ſolemnia populo, ſibi commiſſo, denuncietur, adiuncta graui cohortatione, qua parochiales ſui non modo excitentur, ob concilij cauſam, ad frequentius religioſæ orationis ſtudium: uerùm etiam ad id accendatur, ut die Dominico, qui concilij diem proxime aut præcedit, aut ſequitur, aut alio die, anteaquam concilium abſoluatur, uerè pœnitentes, et confeſſi, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumant, illud potiſſimum intime, totis in Chriſto uiſceribus precantes, ut ipſo operante Domino, conciliarium conſultationum, deliberationum, atque actionum progreſſio, atque exitus eiuſmodi ſit, quo, et Dei gloriæ in primis, et animarum ſaluti, et prouinciæ totius ſalutaribus utilitatibus, atque ornatui, et ſplendori diſciplinæ eccleſiaſticæ ſatisfiat.

A die autem Dominico tertio, ante conſtitutum concilij diem, uſque ad id temporis, quò illud de more abſolutum erit, in ſingulas hebdomadas, quinta feria, pro ſalutari illius concilij progreſſu, ſucceſſuq. proſpero Miſſæ ſacrificium, cum à ſingulis ſacerdotibus, tum ſolemniter collegiatim in baſilica noſtra cathedrali, eccleſijſq. collegiatis urbis, ac diœceſis, de Spiritu ſancto fiat, aut ſaltem commemoratio, ſi quando pro officij ritu, proq. temporis oratione Miſſa de eo celebrari non poteſt.

Singulis præterea diebus Dominicis, et in illis, et in omnibus parochialibus eccleſijs litaniæ, ac preces ob eam ipſam cauſam habeantur.

Et

Et quoniam, hoc anno M. D. LXXXII. nos Apoſtolicæ legationis, qua ſanctiſſimi Pontificis Gregorij XIII. iuſſu apud Cæſarem fungimur, munere, negotijsq. grauiſſimis impediti, ab epiſcopali noſtra ſtatione abſumus, atque ob eam cauſam minus præſtita fortaſſe ſunt, quæ de concilij die calendis Ianuarij denunciando in huius decreti prima parte cauimus, ne hoc ipſo anno negligenter omittatur, quod altera parte conſtituimus, concilij ſexti prouincialis, quod Mediolani in baſilica Metropolitana, hoc anno, decimo die menſis Maij ex ſtata ſolemni indictione, quàm Metropolitanus adhibuit, de more celebrabitur, præfinitam illam diem ſchedulæ, quam ſupra præſcripſimus, affixione quamprimum denunciari iubemus, ac mandamus, ut moniti omnes, quorum intereſt, præfinito eo die ad concilium in tempore accedant: et Vercellenſis eccleſiæ filij noſtri, quos paterna charitate eximie diligimus, pro felici illius ſucceſſu pie precentur, frequentiori orationis ſtudio, ut mox ſupra monuimus, et decreuimus.

DECRETVM. IIII.

ILlud olim ſolemne fuit, in anniuerſarijs synodis, certo synodali die, pro defunctis ſanctum ſacrificium offerri. Quod pietatis officium, atque inſtitutum, cum synodus etiam prouincialis quinta Mediolanenſis, pie ſalutariterq. decreto renouauerit, illius executionem, à nobis præſtari, depoſcit Epiſcopalis noſtri muneris cura.

Itaque alterum ſynodi diem perpetuò decernimus, et conſtituimus: quo die pro omnibus urbis, Diœceſisq. Vercellenſis ſacerdotibus, et clericis, ac pro ijs præſertim, ſi qui poſt proximam ſynodum diœceſanam, ex hac uita migrarint, Miſſæ ſolemnis, in frequentiſſimo cleri Synodalis conuentu, canatur: religioſaq. precatione, ſtati pſalmi, De profundis, pro ijsdem defunctis, eo ipſo die ſummo mane, uel pridie ueſperi, cum ſignificatio huius pij officij campanis baſilicæ noſtræ cathedralis fiet, à ſingulis ſacerdotibus, ceteriſq. clericis oretur.

Decretvm. v.

ILlud in pleriſque Eccleſijs, bene inſtitutis, moris, conſuetudinisq. eſt, tabulam perpetuam edi feſtorum dierum, quorum cultu ſanctificationeuè, ex eccleſiæ præcepto, aut ex conſuetudine, uotoue fideles religiosè deuincti ſunt. Id porrò inſtitutum concilij prouincialis tertij Mediolanenſis decreto ita introductum eſt, ut iſtiuſmodi tabula accurate, ſtudioſeq. ab Epiſcopo confecta, in ſynodo diœceſana de more decernatur, atque edicatur. Itaque nos ad illius prouincialis decreti, cuius diligentem executionem præſtare debemus. præſcriptum in hac Synodo Vercellenſi nona, tabulam, mox infra ordine explicatam, decernimus, atque edicimus, in qua et ſacri illi dies feſti, qui in ciuitate, diœceſiq. noſtra Vercellenſi, quauis ratione coli, et uigiliæ item, quæ ieiunio, abſtinentiaue obſeruari debent, ſingulis menſibus, certo

ſtato

ſtato die notatæ ſunt: quo exploratius parochi habeant, quos dies feſtos, quaſue uigilias Dominicis diebus ſingulis de more parochialibus ſuis denuncient: hique rurſus parochorum ſuorum uocibus toto eo de genere accuratius moniti, plane intelligant, quanta ſibi neceſſitas impoſita ſit colendi, et præſcriptos feſtos eos dies, et religioſas, ſacraſuè eorum uigilias.

Hanc porro tabulam, cùm in Baſilica noſtra cathedrali Euſebiana, tum in omni collegiata parochialiq. tam urbis, quàm diœceſis eccleſia, certo ſacriſtiæ loco, eoq. illuſtri, recte, decoreq. in omnium conſpectu proponi, affigiq. ita mandamus, ut eius monumentum in poſterum extet perpetuo.

TABVLA

DIERVM FESTORVM

qui præcepto, aut conſuetudine uotouè coli debent.

Ianuario menſe.

Die 1. *Circunciſio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Calendis.*
Die 6. *Epiphania Domini. Octauo idus.*
Die 20. *SS. Fabiani pont. et Sebaſtiani, martt. xiij. cal. Febr.*

Februario menſe.

Die 2. *Purificatio Beatæ Mariæ uirginis. Quarto nonas.*
Die 24. *S. Matthiæ Apoſtoli. Sexto calendas Martij.*

Martio menſe.

Die 21. *S. Benedicti Abbatis. In ciuitate.*
Die 25. *Annunciatio beatiſſ. uirginis Mariæ. Octauo cal. April.*

Aprili menſe.

Die 24. *S. Georgij martyris. in ciuitate .*VIII*. cal. Maij.*
Die 25. *S. Marci Euangeliſtæ. Septimo cal. Maij.*

Maio menſe.

Die 1. *SS. Philippi, et Iacobi, Apoſtolorum. Calendis.*
Die 3. *Inuentio S. Crucis. Quinto nonas.*

Iunio menſe.

Die 11. *S. Barnabæ Apoſtoli. Tertio Idus.*
Die 24. *Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ. Octauo cal. Iulij.*
Die 29. *SS. Petri, et Pauli Apoſtolorum. Tertio cal. Iulij.*

Iulio menſe.

Die 22. *S. Mariæ Magdalenæ. Vndecimo cal. Aug.*

Die 25. S. Iacobi Apoſtoli. Octäuo cal. Auguſti.
Die 26. S. Annæ, matris B. Mariæ Virg. In ciuitate.

Auguſto menſe.

Die 1. S. Euſebij Epiſcopi, et martyris, patroni. Calendis,
Die 10. S. Laurentij martyris. Quarto idus.
Die 15. Aſſumptio B. Mariæ Virg. xvij. Cal. Septembris.
Die 24. S. Bartholomæi Apoſtoli. Nono cal. Septembris.

Septembri menſe.

Die 8. Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis. Sexto idus.
Die 21. S. Matthæi Apoſtoli. xi. Cal. Octob.
Die 29. S. Michaelis Archangeli. iii. Cal. Octob.

Octobri menſe.

Die 28. SS. Simonis, et Iudæ Apoſtolorum. 5. Cal. Nouemb.

Nouembri menſe.

Die 1. Feſtum omnium Sanctorum. Calendis.
Die 11. S. Martini Epiſcopi, et confeſſoris. Tertio idus.
Die 30. S. Andreæ Apoſtoli. Pridie Cal. Decembris.

Decembri menſe.

Die 7. S. Ambroſij Epiſcopi, et Doctoris. vij. idus.

S. Tho-

Die 21. *S. Thomæ Apoſtoli . xij. Cal. Ianuarij.*
Die 25. *Natiuitas D. N. Ieſu Chriſti. Octauo Cal. Ianuarij.*
Die 26. *S. Stephani protomartyris. Septimo Cal. Ianuarij.*
Die 27. *S. Ioannis Apoſtoli, et Euangeliſtæ. Sexto Cal. Ianuarij.*
Die 28. *SS. Innocentum martyrum. Quinto cal. Ianuarij.*

Solemnitates, et dies feſti mobiles.

Paſcha Reſurrectionis Domini, cum duobus diebus proxime ſequentibus.
Aſcenſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Pentecoſte cum duobus diebus, proxime ſequentibus.
Solemnitas Sanctiſſimi Corporis Domini.
Omnes, ſinguliq. dies Dominici.
Feſtum S. Patroni in propria parochia.
Feſtum ſancti in unoquoque loco, ubi coli ſolet, uel ex probata conſuetudine, uel ex uoto.

Tabula uigiliarum, ſeu ieiuniorum, quæ ex præcepto ſanctæ matris eccleſiæ, aut ex conſuetudine huius noſtræ Vercellenſis eccleſiæ, uotoue ſeruantur.

Ieiunium quatuor temporum, in hyeme menſe Decembri, feria quarta, ſexta, et Sabbato.
Vigilia Natiuitatis Domini.
Ieiunium quattuor temporum primo uere. Feria quarta, ſexta,

ſexta, et Sabbato.

Ieiunium, aut ſaltem abſtinentia triduana in litanijs minoribus.

Vigilia Pentecoſtes.

Ieiunium quattuor temporum in æſtate. Feria quarta, ſexta, et Sabbato.

Vigilia SS. ſingulorum Apoſtolorum, præterquam ſanctorum, Ioannis Euangeliſtæ, et Philippi, et Iacobi.

Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.

Vigilia, S. Euſebij Epiſcopi, et martyris, patroni.

Vigilia S. Laurentij martyris.

Vigilia Aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ uirginis.

Ieiunium quattuor temporum in Autumno. Feria quarta, ſexta, et ſabbato.

Vigilia feſti omnium ſanctorum.

Ieiunium ſingulis diebus quadrageſimæ, exceptis Dominicis.

Porrò in uigilijs, quæ infra ordine deſcribuntur, illud parochi, parochiæ ſuæ fideles hortentur, ut, quamuis nunc illi ieiunij lege adſtricti non ſint, ad uſum tamen priſtinam conſuetudinem pro pietatis, deuotioniſq. ſtudio reuocare ſtudeant, ut ieiunent, aut ſaltem à carnis eſu abſtineant; atque hæ quidem uigiliæ ſunt.

Vigilia Epiphaniæ.

Vigilia Aſcenſionis.

Vigilia Sanctiſsimi Corporis Chriſti.

Vigilia S. Martini Epiſcopi, et confeſſoris.

Decre-

DECRETVM VI.

FEſtis diebus ſanctificandis quo magis, atque magis in omnes partes populus pie, religioſeq. ſe ſe conformet, tabellam hanc, quam in baſilica noſtra cathedrali, in omniq. urbis, et diœceſis noſtræ eccleſia collegiata, parochialiq. certo illuſtri loco, in omnibusq. doctrinæ chriſtianæ ſcholis, publice affixam perpetuo eſſe decernimus, breui explicatam, certiſq. capitibus diſtinctam, edimus: ex qua, unuſquiſque cum perſpiciat, quæ ſacris ijs diebus agenda ſint, quæq. fugienda, ab his omnino deflectat atque in illis, quæ ſibi ad ſalutem propoſita ſunt, rectum curſum, perpetuumq. adiutrice Dei miſericordia, teneat, atque adeo conficiat.

Hæc die feſto ſibi fideles agenda proponant.

Primum igitur, ut pridie ſaltem feſti diei, omni pietatis intimæ ſtudio, atque officio, ſe ſe parent, atque inſtituant ad illius ſanctificationem, religioſumq. cultum.

Quam etiam præparationem, eo ipſo antecedenti die adhibere quoad eius fieri poteſt, ſtudeant, his pijs exercitationibus, atque officijs, infra deſcriptis.

Confeſſione.

Oratione crebriore, atque ardentiore.

Meditatione celebritatis, quæ agitur.

Præcipue uero imitatione alicuius uirtutis ſancti, ſanctæue, cuius dies feſtus colitur.

Frequentatione eccleſiæ, ubi celebratur, in primis tempo-

re

re Miſſarum, et ueſperarum.

Ieiunio uel præcepti, uel deuotionis, aut ſaltem aliqua abſtinentia.

Vigilia totius noctis, ut antiqui moris fuit, aut ſaltem partis: præſertim quando communionem ſacram poſtridie, nempè, ipſo die feſto ſumpturi ſunt.

Firma, fixaq. deliberatione progrediendi in uitæ ſanctioris uia.

Poſtridie, feſto die, Miſſæ reuerenter, ac religiosè interſint: id quod prætermitti non poteſt ſine peccato mortali.

Hoc ut in parochiali Eccleſia præſtent, ex decreti Tridentini auctoritate, decreto prouinciali etiam, atque etiam uehementer in Domino monemus.

Oblationem pro facultatibus, eccleſiæ parochiali ex inſtituto facient.

Confeſſi ſacram communionem ſument: aut ſummo dolore ex peccatis affecti, intimeq. contriti, fide uiua accenſi, ſpiritu ſacram Euchariſtiam percipiant.

Miſſæ etiam ſolemni, quæ collegiatim canitur præſentes aderunt, præſertim in anniuerſarijs maioribus ſolemnitatibus; ac uero maxime in Baſilica Cathedrali, primariaue, quoties Epiſcopus celebrat.

Diuinis horarum canonicarum officijs, ac præcipue ueſperis, chriſtiano deuotionis ſtudio, intererunt. In ſolemnitatum maiorum celebritatibus ad matutina officia bene mane conuenire ſtudebunt.

Concionem ſacram attentiſſime audiant: monitaq. concionantis exequantur, alijs etiam, tum filijs, ceteriſq. domeſticis, tum externis ſalutariter narrando, quæ diſciplinæ vſui opportuna audierint.

Orationis, ſupplicationiſq. quadraginta horarum, ſi qua in eccleſia celebratur, horariam exercitationem ex præſcripto præſtent.

Dei beneficia meditabuntur.

Opera eius contemplabuntur.

Miſericordiam item illius recolent.

Pro omnibus Deo gratias agent.

Eccleſias ſtationales deuoti obibunt.

Vitam anteactam ſecum taciti reputabunt.

Peccata admiſſa, culpaſq. conceptas, ſumme, intimeq. docebunt.

Eorum ueniam, et indulgentiam à Deo deprecabũtur.

In ſcholis Doctrinæ Chriſtianæ, et diſcendo, et docendo uerſentur.

Rudes, ubi ſint, ſalutariter inſtruent.

Quos à ſalutis uia aberrare norint, ijs ſalutaria conſilia dabunt.

Peccantes, fraterne, omniq. dilectionis, et charitatis officio corrigent: præſertim uiciniæ incolas, ſi quid palam offendere ſcierint.

Egentibus, atque inopibus aliquid pro facultatibus in eleemoſynam conferent.

Pauperes non ſolum, qui in publicis hoſpitalibus ædibus

ſunt,

ſunt, ſed etiam ubicunque ſint, etiam in priuatis ædiculis, uiſitabunt; adiuuabunt, et re, et conſilio, et conſolatione.

Aegrotantes item parochianos inuiſent: et quæ ſalutaria ſunt, illos admoneant: ſubleuentq. aliquo modo, ſi opus habeant.

Aegrotorum, etiã, peregrinorum, ſenũ, imbecilliorumue hominum, hoſpitalia, domicilia publica frequentent: quibus, ſi quid poſſunt, benigne faciant: ſin minus, deſiderio, ſaltem præſtent charitatis Christianæ partes.

Afflictos, aut aliqua calamitate, morteuè propinquorum mœrentes conſolentur.

Monaſteria religioſorum, ſanctioris uitæ laude præſtantium adibunt: quibuſcum aliquid temporis in collocutionibus ſalutaribus ponent.

Ad alios, etiam uitæ ſpiritalis ſtudioſos, ſe conferent: quorum etiam conſilijs nitentur.

Tanto denique charitatis ardore ſe in feſti diei celebritate exercebunt, præſertim propoſita ſibi imitatione ſanctorum, ut dilectio qua inflammentur, non ad amicos ſolum, ſed ad inimicos etiam pertineat.

Inuidiam, ſimulatem, rixas, odium, tamquam peſtiferum uenenum, abijciant diligentius, quàm ſolent.

Pacem, concordiamq. reconcilient.

Illatas ſibi iniurias, damna, pro Chriſti Redemptoris immenſa charitate condonent.

A quibus operibus, actionibuſuè fideles die feſto caueant, abſtineantuè.

CAueant ab omni opere ſeruili, mundanoue, omniſq. illiberalis artis exercitatione.

Ab emptione, uenditioneuè.

A nundinatione, mercatuuè quæſtuario.

A nundinarum apparatu.

A piſcatione.

A uenatione.

A perſonatis actionibus.

A ludis equeſtribus.

A ſcenicis ſpectaculis.

A choreis, ſaltationibus, et tripudijs.

A ludicris, et inanibus huius ſæculi ſpectaculis: ab eis porro, quæ ſequuntur, cum ſemper abſtinere debent, tum ſacris diebus longe ſtudioſius, vt pote.

Ab aleæ luſæ, et taxillis.

A comeſſationibus, immoderatiſuè conuiuijs.

A luxu ueſtium.

Ab impudicis, turpibuſq. colloquijs.

Ab omni flagitio, et peccato.

DECRETVM VII.

GRauiorum peccatorum, et culparum, quarum abſolutionem ab Epiſcopo ſibi reſeruari ſolemne eſt, tabellam, ordine, infra explicatam, hoc anno.

M.

M.D. X X C I I. in ſynodo diœceſana nona, edimus, atque euulgamus. Quam tabellã illius roboris, et auctoritatis itidem eſſe ſancimus, ut alio decreto noſtro diœceſano accurate cautũ eſt. Atque hæc quidẽ reſeruatio, ſic edita, robore, et auctoritate ſua toto hoc ipſo anno nitatur, ac tãdiu præterea, quoad illã uel mutauerimus, uel abrogauerimus, alterius tabulæ id generis editione.

Caſus nuper reſeruati.

QVi hæreticos, hæreſiſuè nomine ſuſpectos, eosuè item, qui hæreticorum libros habent, ſi quos tales ſciunt, non denunciant.

Publici, et notorij blaſphematores.

Qui moniales uiolarint.

Qui earum ſepta ingreſſi ſunt, facultate non impetrata.

Qui abortum procurarint.

Qui tertio, uel propinquiori gradu conſanguinitatis, uel affinitatis inceſtum admiſerint; ſodomitæ, & qui cum brutis coierint.

Incendiarij, et qui damni, iniuriæuè cauſa uites, uel arbores alienas inciderint, ſacrilegi, et nocturni agrorum depopulatores.

Homicidæ uoluntarij.

Qui parentes percuſſerint.

Qui infantes expoſuerint per ſe, uel per alios.

Qui falſa inſtrumenta confecerint, et qui conficienda mandarint, conſiliumue præſtiterint.

Qui legata ad pias cauſas facta non denunciauerint Epiſcopo, uel ijs, ad quos pertinet.

Vſurarij, uſurarumq. mediatores, et qui inſtrumenta, quæ manifeſtas uſuras continent, tacitè, uel expreſſè, confecerint.

Qui ad magicas artes, ueneficia, ſuperſtitiones, et ad alia huiuſmodi, Euchariſtia, ſacriſue rebus abuti auſi fuerint.

Venefici, et qui potiones dederint, ut quis moriatur, uel morbo tabeſcat, inſaniatuè.

Sacerdotes, qui uerbis, ſignis, factis, litteris, nutibus, uel quocunque alio modo confeſſionem reuelauerint.

Qui ſtateras, menſuras, monetaſuè adulterauerint, corruperintuè, aut in eo conſilium præſtiterint.

Qui clandeſtina matrimonia contrahere attentauerint, quiue eiſdem interfuerint.

Qui matrimonium de facto cum alia contraxerint, prima uxore uiuente.

Qui ante Matrimonij celebrationem, carnali copula ſe coniunxerint.

Qui paruulos ſuffocarint, quiq. eos in lecto infra annum retinuerint, etiam non ſecuta ſuffocatione.

Qui ſcienter detinuerint eccleſiaſticum beneficium, uel bona eccleſiæ ſine iuſto titulo.

Clerici in ſacris conſtituti, uel beneficiati, et habitum, et tonſuram, ordine ſuo, ac dignitati congruentem non deferentes.

Qui

Qui decimas, ad quas ſe teneri ſciunt, non perſoluunt.
Sacerdotes in eccleſia, uel cœmiterio ſcienter ſepelientes cadauer alicuius excommunicati, uel interdicti.
Qui terminos poſſeſſionum eccleſiæ mutauerint, cœlauerintuè.
Qui uetitis cibis quadrageſimæ tempore, abſq; permiſſu noſtro, ſeu uicarij noſtri uſi fuerint.
Laniſtæ, et caupones, carnes, et alia prohibita ſine licentia uendentes, ſeu uenales exponentes.
Qui executionem litterarum à nobis, uel à Vicario noſtro emanatarum directe, uel indirectè impedierint.
Qui extra eccleſiam, cum Miſſæ ſacrum celebratur, morantur.
Qui Doctrinæ Chriſtianæ initia ignorant, neque addiſcere curant.
Mulieres, quæ capite rite non uelato eccleſiam ingrediuntur.

DECRETVM VIII.

MVltis in eccleſijs illud ſalutariter inſtitutum eſt, vt quicũque clerici lege diuini officij recitãdi ullo modo deuincti ſunt, ij ſinguli, atque uniuerſi, ad ſynodum diœceſanam euocati, afferant, atque exhibeant, diuinarum precum breuiarium, calendariumq. anniuerſarium quaſi præcipua arma, quibus inſtructi, aduerſus principes tenebrarum pugnent continenter, pabulo illo quotidianæ præcationis in dies ſingulos à Domino corroborati.

borati. Pium hoc igitur inſtitutum, ut ad uſum, conſuetudinemq; noſtræ eccleſiæ Vercellenſis introducamus, optimum factu cenſuimus, et synodalis diſciplinæ rationibus conueniens, decreti huius auctoritate ſancire, ut omnes, ſinguliq. clerici, diuinarum precum officio adſtricti, cum ad synodum diœceſanam conuenerint, primo illius die, aut alio, cum moniti erunt, et breuiarium, et calendarium illius anni, quo synodi celebritas agitur, afferant, atque exhibeant, ita uero exhibeant, ut utrunque initio inſcriptum ſit nomine, et cognomine poſſidentis: ne quod ab alijs quis acceperit, ſuum eſſe mentiatur. Alioquin ſi contra aliquis fecerit, pœna plectatur, arbitratu noſtro, aut Vicarij noſtri Generalis.

DECRETVM IX.

CAnonicis baſilicæ noſtræ cathedralis, in synodo diœceſana ſeptima, ueſtitum præcipuum, tamquam canonicalis ordinis quoddam inſigne, decreto edito præſcripſimus. Atque cum quidem ueſtitum cum non modo canonicis decorum, et dignitatem, ſed populo etiam ſpecimen aliquod honeſtatis, et grauitatis attuliſſe animaduerterimus, in eam deliberationem uenimus, ut parochis itidem ueſtem conſtituamus peculiarem, cuius indumento à reliquo clero diſtincti, tamquam populi, ſibi commiſſi, patres internoſcantur. Quare decreto hoc perpetuo ſancimus, uniuerſos, ſinguloſq. parochos, alioſq. animarum curatores, quicumque ſint, ueſtem exteriorem

rem uſque ad talos demiſſam huiuſmodi forma cõfectam induere, ac geſtare, quæ collo apte annexa, laxiores etiam manicas habeat. Quarum manicarum uſu cæteris quibuſuis clericis interdictum ſit.

DECRETVM X.

ORdinis Sacramento clericis initiandis quanta, et quã diligens cautio adhibenda ſit, ſacræ litteræ docent, patrum monumenta declarant, canonum leges præſcribunt, decreta Tridentina iubent, nuperq. synodi prouinciales Mediolanenſes quàm diligẽtiſſime conſtituũt. Et uero quoniam nos quoque eo de genere aliquid in diœceſana synodo decreuimus, ut hæc ipſa, et illa à clericis, qui ad aliquem ordinis gradum in poſterum prouehentur, in unum collecta, facilius conſpiciantur, atque accuratius ſeruentur, librum, exiguum illum quidem, at utilem certe, neceſſariumq. edere ſtatuimus: quo uno libro, quæcumque, et Tridentinis decretis, et ſanctionibus prouincialibus, et noſtris item legibus diœceſanis diſperſe, ac diffuſe præſcripta ſunt, ea omnia, atque adeo plura, prout diœceſis noſtræ uſus poſtulat, quam rectiſſimè complectamur. Atqui cum ſæpe nonnullos, uel præ ingenij tarditate, atque hebetudine, uel præ inertia quadam, uel præ pontificalis libri, quem nullum habent, difficultate, uſque adeo rudes, atque adeo ignaros, experiundo cognouerimus, ut ne uerba quidem norint, quæ dum initiantur, ad præſcriptum rite reſpon-

dere debent: idcirco eo ipſo libro cōſcribi uoluimus, quæcumque libro pontificali, de ſacris ordinibus tradita ſunt, ut, qui clericali aliquo ſacro ordine initiari uelint, facile ex eo ſinguli ediſcere queant, quæ ad ordinem, quem ſuſcepturi ſunt, pertinere ulla ratione poſsunt. Vt autem omnis clericus, quicumque ſit, hunc ipſum paruū librum, tamquam Enchiridium quoddam, ſemper in promptu habere, manuq. geſtare poſſit, ſeparatim ab huius synodi decretis in lucem emittitur, noſtra epiſcopali auctoritate ita corroboratus, ut, ſi quis, cum ad ſacræ ordinationis examen acceſserit, eum in promptu non habuerit, neque ſe in eo, tamquam in pellucido ſpeculo prius diligenter ſpectauerit, is nulla examinis ratione inſtituta, miſſus fiat, tamquam indignus, de quo periculum in morum diſciplina, et litterarum ſcientia fiat: cum præcipuum illud ſubſidium, atque adiumentum, ſibi ad uitæ clericalis, quam ſibi proponit, rationes comparatū, neglexiſſe, pro nihiloq. habuiſſe uideatur.

DECRETVM XI.

MOnialium, quæ cœleſti ſponſo Chriſto dicatæ, iam mundo abſconditæ, id quod ueli, quo uelantur, ornatus indicat, ſe ſe in monaſteria abdiderunt, clauſura, apoſtolicis, pontificijsq. ſanctionibus Bonifacij VIII. Pij V. et Gregorij XIII. ſanctè communita, cum uiolari nullo modo debeat: idem Pontifex. Max. Gregorius pro apoſtolico ſuo, quo tenetur illius tuendæ, et

cuſto-

cuſtodiendæ Zelo, nuper anno ſuperiore proximo M. D. LXXXI. die xxiij. Decembris, aliam conſtitutionē edidit, qua enucleate præſcripſit, et quando, et quo modo, quo item comitatu liceat ijs, qui earum curæ præſunt, monaſteria ipſarum ingredi. Quam grauiſſimam conſtitutionem, ut perpetuo ſeruetur, in hac synodo diœceſana nona de ſuggeſtu pronunciari, ac promulgari, et decretis his synodalibus adiunctam, in eorum fine imprimi, atque edi mandamus.

DECRETVM XII.

DE iudæis, quod genus hominum eſt à chriſtianæ religionis inſtitutis alieniſſimum, fallax, perfidioſiſſimū, nimiſq. pertinaciter nomini, populoq. chriſtiano infenſum, iampridem prò officij noſtri munere, in synodo Vercellenſi quarta conſtitutionem edidimus: qua non multa quidem, quæ ad eorum obfirmatam, deprauatis moribus nequitiam comprimendam opus eſſent, complexi ſumus. Quamobrem hæc illis, quæ tunc, prout temporum ratio tulit, ſalutariter ſanciuimus, adiungenda ſtatuimus, proindeq. ut infra, ita decernimus.

Primum progenies hæc uiperarum, quæ horrendis, et nefandis facinoribus imbuta, execrationibuſq. dedita, dolis, fallacijs, et impoſturis aſſuefacta, in perpetuo peſſimè agendi uſu uerſatur, cum et horribilibus maledictis ſacroſanctum Chriſti Ieſu nomen deteſtari non deſinat, et fidelibus omnia ſane mala quotidie imprecetur, et

talmudiſticis fabulis ſanctiſſima religionis chriſtianæ decreta uiolare audeat, et magiæ, artibuſq. uetitis, atque omni ſceleri incumbat, ut eccleſiæ catholicæ dignitatem, ubique terrarum lœdat, et quod tolerandum non eſt, interitum, atque exitium machinetur: ideo ſummus Pontifex Gregorius XIII. uir ſapientiſſimus, eccleſiæq. tuendæ, atque ab omni iudaica iniuria uindicandæ ſtudio, Zeloq. uere pontificio exardeſcens, blaſphemijs, et flagitijs iudæorum obuiam ire uoluit, conſtitutione grauiſſime ſancita, atque edita, cuius auctoritate hæreticæ prauitatis inquiſitores, in eos, qui talia facinora patrarint, graui iudicio animaduertant. Quæ ſalutaris conſtitutio, ut perpetuo ſeruetur, atque ad executionis uſum Vercellis, et in omni diœceſi noſtra inducatur; primum in hac synodo noſtra diœceſana, de ſuggeſtu pronuncietur, atque edicatur; itidemq. ſingulis anniuerſarijs synodis in poſterum de more fiat; atque ad illius quidem exequendæ perpetuam conſuetudinem, perpetuumq. monumentum unà cum his decretis imprimatur, et edatur in extrema eorum parte.

Quæ præterea Pauli IIII. deinde Pij V. ſummorum Pontificum de eorum uita, conſuetudine, et habitatione ſancita ſunt, ad earum præſcriptum ita cauemus.

Ne in noſtra diœceſi, ubicumque iudæi habitent, plures uno in loco synagogas habeant: neue domos ad synagogæ officium plures adhibeant: atque, ſi ubi iam plures ſunt, ſtatim tollantur omnino, ceſſentq. omnes, una

tantum

tantum excepta, quæ tamen ab eccleſijs fidelium diſtet, ut concilij etiam Lateranenſis cautio eſt.

Nouas autem ſynagogas in noſtra diœceſi ne conſtruãt, neuè conſtituant: neuè, penitus dirutas reficiant.

Ne item ueteres ſynagogas altius extollant, aut amplificent, aut opere aliquo, modouè magnificentius exædificent, ornentuè.

Vt à chriſtianorum habitationibus ſeiuncti, ad præſcriptum earum pontificalium, apoſtolicarumq. ſanctionum habitent.

Domicilium autem non modo proximum, ſed ne in conſpectu quidem eccleſiæ, oratorijuè, quo fideles conuenire ſolent, ipſi conſtituant, habitentuè.

Ad quarum item conſtitutionum rationem præſcriptã, mares, et fœminæ ſigno ſemper patenti utantur, quo ubique, atque adeo in itinere, facile, perſpicuèq. dignoſcantur.

Dominicis, feſtiſq. alijs diebus, quos coli, et ſanctificari, præcepti, aut conſuetudinis, uotiue eſt, nullũ opus, nec ſeruile, nec uero mundanum publice faciant: neque præterea aliorum opere, aut opera ad ſacrorum illorum dierum uiolationem nefarie abutantur.

Atque hæc quidem ſumma eſt capitum, quæ de iudæis ſancita, enucleatius præſcripta ſunt pontificijs illis conſtitutionibus: quarum monimenta, ut litteris conſignata, atque impreſſa, perpetuo aſſeruentur, earum exempla, una cum horum decretorum editione in fine imprimi,

mi, atque in lucem emitti ſtatuimus.

Nos præterea quæcumque alia, et canonico iure, et alijs pontificijs ſanctionibus, et patrum inſtitutis, et decretis tàm prouincialibus, quàm diœceſanis noſtris, de iudæis conſtituta ſunt, ea omnia, et ſingula hoc decreto perpetuo in urbe, diœceſiq; Vercellenſi perinde diſtincte, atque explicate, renouamus, ac ſi illa ſingula, uniuerſaq. hoc ipſo decreto, non modo ſummatim, ſed de uerbo ad uerbum ediceremus.

Et quoniam à teneris filios ſuos iudæi ad nequitiam, dolos, fallacias, egregie ex Thalmudiſtarum præſcripto inſtruunt, ut chriſtianos pueros fallant, et decipiant, quàm callidiſſime: idcirco hoc parentibus interdictum ſit, ut ne filios ſuos cum iſtis, quos, tamquam draconis antiqui ſobolem, ipſe Satanas, pater eorum uigilantiſſimus, ad omnem calliditatem, fallaciam dolumq. alit, conſuetudinem ullo modo, ulla cauſa, cauſæue ſpecie, aut ullo prætextu inire, habereue patiantur.

Nemo præterea clericus, nec latine docendi, nec hebraice diſcendi cauſa, alioue prætextu, iudæorum conſuetudine utatur, cum impura ſit iſtorum uita, omniq. flagitio contaminatiſſima, et pertinaciter perfidiæ addicta.

DECRETVM XIII.

QVod olim in uſu ſancte poſitum fuit, id concilij prouincialis quinti decreto renouatum, eccleſiæq. Metropolitanæ Mediolanenſis exemplo ad conſuetudinem

reſti-

reſtitutum, iam anno proximo ſuperiori in synodo noſtra Vercellenſi, non ſine magna animi noſtri lætitia, totiuſq. cleri synodalis gratulatione introductum, ut ſingulis synodalibus diebus ſub ueſperum, aut mane, synodo abſoluta, pro temporum uarietate, oratio, certis capitibus diſtincta, atque enunciata, breui aliquo ſpatio, à clero tacita mente pie peroretur: id ipſum, ut in poſterum, prout temporum, rerumq. impendentium neceſſitas tulerit, perpetuo deuotionis ſtudio, in omni anniuerſaria synodo; Vicarij noſtri Generalis, aut præſidentis arbitrio præſtetur, hoc decreto cauemus, et ſancimus.

Hoc autem anno M. D. LXXXII. quo ab eccleſiæ noſtræ ſtatione paſtorali abſumus, Apoſtolicæ legationis munere apud Rodulphum Cæſarem impediti, orationis huius formulam, infra partibus ſeptem, quaſi certis punctis, ordine præſcriptam, ita ſeruari iubemus: ut, cum in ſingulis partibus paululum moræ interiectum erit, in orationis huius, et meditationis exercitatione ſpatium horæ ſaltem dimidiæ ſalutariter conſumatur.

I.

FRATRES *dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum: ut in omni ſapientia, et intellectu ſpirituali, impleat uos agnitione uoluntatis ſuæ: ut digne ambuletis uocatione, qua uocati eſtis, atque in omni opere bono fructificantes, creſcatis in ſcien*-

tia

tia Dei, et in omni perfectioris uitæ diſciplina.

II.

FRATRES dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum: ut cœleſti uos gratia muniat, qua adiuti, ſpiritu ambuletis, deſideria carnis non perficiatis, ſemper mortificationem Ieſu Chriſti Domini noſtri in corporibus ueſtris circumferentes.

III.

FRATRES dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum: ut hæc ipſa dona Epiſcopo, et paſtori ueſtro miſericorditer tribuat: et ſedis Apoſtolicæ cauſa à ſtatione ſua paſtorali abſenti, Apoſtolicaq. legatione apud Cæſarem fungenti, ſpiritalium omnium munerum copiam largiatur: quibus munitus, quæ Dei ſunt, ea cogitet, ea curet, ea ſalutariter exequatur, ad ipſius Dei gloriam, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ dignitatem, catholicæq. religionis propagationem. Idq. ſupplices potiſſimum petite: ut munere ſuo recte, atque ex ſanctiſſimi pontificis uoluntate perfunctus, ad ſtationis ſuæ epiſcopalis officium, curæq. ſuæ labores, optatiſſima gratulatione noſtra, quàm citiſſime redeat.

IIII.

FRATRES dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum, pro Sanctiſ. D. N. Gregorio

Papa

Paga XIII. ut eum Deus Spiritu ſancto ſuo, quemadmodum promiſit, gubernet, dirigat, ad eccleſiæ catholicæ, cui præeſt, conſeruationem, et propagationem.

V.

FRATRES *dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum pro Auguſtiſſimo Imperatore Rodulpho: ut eum in pace, et concordia conſeruet: diuinaq. gratia ſua in omni imperij adminiſtratione cuſtodiat.*

VI.

FRATRES *dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum pro Sereniſsimo noſtro Duce Sabaudiæ, ut deſideria, in eo bona quotidie multiplicet, eundemq. ſalutari gratia ſua conſeruet: ut populos ſibi commiſsos proſpere, ac feliciter tueatur, et gubernet.*

VII.

FRATRES *dilectiſſimi. Toto cordis affectu, et deuota mentis intentione, orate Deum omnipotentem, et patrem miſericordiarum: ut in Germaniam prouinciam, omneſq. imperij fines benedictionis ſuæ rorem infundat: populoſq. eius ſanctis uirtutibus omnibus illuſtret, quibus rectam catholicæ religionis diſciplinam pie colant.*

Acclamationes.

Beatiſſimo Gregorio Papæ et D. N. Sanctæ uniuerſalis eccleſiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia, et chriſtiani nominis in omnem terram propagatio.

Reſp. Domine Deus ſanctiſſimum patrem gratia tua cuſtodi, ut, eo gubernante, gentes ſancto ueræ fidei lumine perfuſæ, in unum eccleſiæ tuæ ouile colligantur.

Reuerendiſs. Archiepiſcopo ſalutaris uigilantia.

Reſp. Deus, pater luminum, illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum: accende cor eius in ædificationem prouinciæ, ſibi commiſſæ.

Reuerendiſs. Epiſcopo noſtro, pro ſancta eccleſia Dei, legationis Apoſtolicæ labores obeunti, conſtans fortitudo.

Reſp. Omnipotens Deus, ſuper Antiſtitem noſtrum benedictionum tuarum dona perpetuo multiplica.

Reuer. Clero Vercellenſi fructus ſanctæ diſciplinæ uberrimus.

Reſp. Spiritualibus Domine amplifica augumentis miniſtros tuos, ut, et uerbo, et exemplo proficiant ad uitam ſempiternam.

Sereniſſimo Duci Sabaudiæ perpetua felicitas.

Reſp. Aeterne Deus, Ducem noſtrum in amore tuo conſerua, ut cœleſti gratia tua auctus, omni tua benedictione perpetuo dilatetur.

Populo Vercellenſi, pax Chriſti æterna.

Reſp. Memento Domine Deus in beneplacito populi

tui,

tui, et ſpiritualium donorum amplifica augumentis.

Nos Dei uoluntatem explentes, et ſancta decreta, in omni opere bono exequentes, digni reddamur miſericordia, et gratia magni, et ſupremi ſacerdotis Ieſu Chriſti Dei, intercedente ſimul beata eius genitrice Virgine Maria, beato Euſebio martyre patrono, et omnibus ſanctis.

Reſp. Amen. Amen.

FINIS.

Laus Deo.

SYNODVS
DIOECESANA
DECIMA
VERCELLENSIS

Anno à Chriſti natiuitate.

M. D. XXCCII.

celebrata.

ACTA
Synodi Vercellenſis
decima.

SYNODVS diœceſana decima, Vercellenſis, de more indicta, in baſilica ſancti Euſebij Epiſcopi, martyris, et patroni, rite acta, et celebrata eſt, die XXI. menſis Aprilis, qui dies fuit feria quarta, anno à Chriſto nato M. D. LXXXIII. indictione undecima, Gregorio XIII. pont. Max. Reuerendiſs. Epiſcopus, et officij ſui paſtoralis zelo accenſus, et diſciplinæ clericalis ſynodaliſq. ſtudio flagrans, cum apud Imperatorem Rodulphum internuncius Apoſtolicus, tunc maximo grauiſsimoq. negotio Colonienſi impeditus, abeſset, litteras ad hanc ſynodum dedit, quarum exemplum eſt, quod mox ſequitur.

I. FRANCISCVS EPISCOPVS
Clero ſuo Vercellenſi, in decima Synodo Diœceſana congregaio, ſalutem, et omnem cœleſtium chariſmatum plenitudinem à Deo precatur.

CHARISSIMI in Chriſto fratres, et deſideratiſsimi filij. Vt, poſtquàm ſingularem ſanctiſsimi Patris noſtri, et glorioſiſsimi martyris Euſebij charitatem, diuino igne ardentiſsime inflammatam, induere nobis haud licet, uerba ſaltem, ex quibus, ſi non parem, paternum

ternum tamen affectum erga uos noſtrum cognoſcatis, aliqua ex parte imitemur: dum alteram iam Diœceſanam Synodum, nobis abſentibus, Vercellis habendam, etiam cogitamus, non poſſumus quidem, non uehementer angi, atque animo diſcruciari, quod tandiu præter opinionem, ſpemq. noſtram, necnon ueſtram, ut credimus, expectationem, à uobis abeſſe nos oporteat. Vtinam uero, quemadmodum obedientiæ clypeus nos contra omnes aduerſantium cogitationum ſcrupulos, quod ad abſentiam attinet, reddere tutos poteſt: ita nos in has partes diuina ultio, noſtris fortaſſe id peccatis exigentibus, non miſerit hoc tempore, quo miſeræ huius prouinciæ interitum his oculis excipiamus, neque ad impendentem ruinam manum admouere ulla ratione poſſimus. Quandoquidem, ſi nunquam aliàs opera noſtra inanis, aut irritum ſtudium fuit, nunc profecto nos incaſſum laborare, oleumq. et operam, ut aiunt, perdere animaduertimus ac ſentimus. Itaque in tanta curarum et moleſtiarum tempeſtate, quantam ſanè unquam aliàs uix, aut ne uix quidem experti ſumus, neque enim doloris noſtri cauſas accuratius referendas ducimus: Synodi Vercellenſis decimæ inſtare tempus cum reminiſceremur, quod, ut uere fateamur nobis hoc diuturno, ac moleſtiſſimo itinere fatigatis, atque in magna non modo paſtoralium actionum, uerum etiam ſpiritualium exercitationum ſolitudine degentibus, et quaſi officij noſtri oblitis, prope exciderat, nemo ſanè ueſtrum eſt, qui non iudicet, quanta mœroris, atque triſtitiæ animo facta ſit noſtro acceſſio: una illa tamen ſupereſſe uidetur conſolatio, quod in hac defixus cogitatione, præſentes uos aſpicere mihi uideor, atque amplexari omnes, ac tanquam è ſpecula quadam, uno, eodemq. tempore uniuerſam paſtorali meæ curæ concreditam diœceſim ſpectare, totius gregis mihi commiſſi neceſſitates paterna ſollicitudine aſpicere, eiſq. ſtatim ſalutaria, quæ pro temporis opportunitate meliora poſſunt, adhibere remedia, promptum iſtud ueſtrum

ſeduluumq.

ſedulumq. ad Eccleſiæ noſtriſq. mandatis obediendum, cultumq. diuinum promouendum, et ſalutem animarum omnibus modis procurandam ſtudium: quo nihil ſanè gratius, aut iucundius Paſtoribus, diuinę gloriæ cupidis, contingere vnquàm poteſt, cernere apertius, ac prope manibus tangere. Quid moror? ſtatas illas ceremonias, rituſq. omnes, ac præſertim ad ſanctiſsimi ſpiritus gratiam inuocandam rite inſtitutas preces ſimul incredibiliq. animorum conſenſione, atque interdum etiam non ſine magna lachrymarum præ ſpiritali gaudio erumpentium effuſione cantare; & quaſi cœleſtis regni, vbi omnes in vno ſummi Dei conſpectu, amore, & contemplatione, eiuſdemq. Maieſtatis laudibus vnà cum Angelicis choris concelebrandis conquieſcemus perpetuo, certum pignus mira cum animi voluptate accipere, & quaſi iam poſsidere incipere. Hæ porro atque aliæ eiuſmodi Synodales actiones, dum animo obuerſantur meo, magnam quidem afferunt conſolationem, meq. ad vos ab hoc quaſi exilio, ſeu relegatione, ſalutandos impellit. Saluete igitur in Domino fratres, omni benedictione gratiæq. Diuinæ largitate repleti, dumq. abſentiam parentis veſtri amantiſsimi doletis, omni ſtudio contendite, ut non modo ueſtras, ſed etiam illius partes agatis, ſuſtineatiſq. fortiter, ac diligenter, ut ne quid detrimenti ob illius abſentiam inferat Dominico gregi, nobis commiſſo, infenſiſsimus hoſtis, qui circuire Chriſti caulas nunquam deſinit, tanquàm leo rugiens, ac perpetuo quærit, quos deuoret. Vos, qui Canonicorum nomine gaudetis, canonicalem etiam diſciplinam, hoc eſt ſacris canonibus, ſanctorumq. Conciliorum generalium, ac prouincialium, nec non Diœceſanorum conſtitutionibus congruentem factis exprimite, exemploq. ueſtro alios ad eorum obſeruantiam adducite, et, ſicut alijs dignitate, ac muneris ueſtri ratione præcellitis, ita ſanctitate, et pręclaris uirtutum Chriſtianarum exemplis præfulgete. Qui uero parochi eſtis, mementote precioſiſsimum

Chriſti depoſitum, hoc eſt animarum illius ſanguine redemptarum pignus, nobis omni cura, ſtudio, ac ſollicitudine, contra inimici inſidias ſeruandum, et cuſtodiendum, fuiſſe creditum. Voſq. attendite, ad ſacram iſtam Synodum quotannis euocari, ut in illa Chriſti militiæ denuo adſcribamini; nouas ſemper militandi rationes perdiſcatis, nouiſq. armis instructi, ad greges ueſtros cuſtodiendos alacriores, ac prudentiores ſemper reuertamini. Qui autem Sacerdotij munere fungimini, nullo beneficij eccleſiaſtici uinculo adſtricti, ne uos ab omni diſciplinæ lege abſolutos exiſtimate: immouero ſacroſanctum, atq. altiſsimum Miſſæ ſacrificium, cui Angeli cum tremore aſsiſtunt, illud quàm humilime ueneran tes, uobis celebrandum ſummo Dei beneficio commiſſum agnoſcite: atque ut illud non indigne, ſed pie, ſancteq. ac religioſe, non pro ueſtris modo, ſed pro totius populi expiandis peccatis, proq. Eccleſiæ ſubleuandis neceſsitatibus quotidie offeratis, omni animi puritate, ac pietate preditos, paratosq. eſſe debere ſemper animaduertite: illudq. S. Bernardi aureum dictum frequenter animo reuoluite, ex quo uno, ut reliqua multa ad ſacerdotis dignitatem, et grauitatem pertinentia omittamus conijcere licèt, quàm longe refugere oporteat Sacerdotem à leuioribus curis, ambitu, et uanitate omni, tantoq. magis à luxu, omniq. incontinentiæ genere, à maledictis, obtrectationibus, et profanis actionibus: Nugæ, inquit uir ſanctiſsimus, diligenter aduertite Sacerdotes, quæ in aliorum ore nugæ ſunt, in Sacerdotis ore, ſunt blaſpemiæ. Reliqui porro omnes, cuiuſuis ordinis cenſeamini, qui Eccleſiaſticæ militiæ nomen dediſtis, qui in ſortem Domini uocati eſtis, curate, atque contendite, ut ſeculares mores unà cum ſecularibus ueſtibus omnino abijciatis, et ſanctorum patrum uirtutes, patientiam, humilitatem, abſtinentiam, uigilantiam, et caſtitatem potiſsimũ ad imitandum uobis proponatis, eaſq. ſtudioſiſsime aſsiduis, ac præclaris exercitationibus exprimere conamini. Atque

tandem

tandem unuſquiſque ueſtrum pro ſui muneris ratione, quæ ſuę ſunt partes, agnoſcens, nihil planè à ſe debiti officij ſtudijue in Eccleſia Dei deſiderari patiatur. Proinde omnes rogatos, atque obteſtatos uolumus in uiſceribus Chriſti Ieſu, qui iudicaturus eſt uiuos et mortuos, ut tantas Eccleſię, nunc admodum grauißime periclitantis, neceſſitates, quantas ſanè præterita à multis ſeculis non uiderunt tempora, omni animi pietate, ac ſollicitudine reſpicientes, peculiaribus precationibus communem cauſam continenter adiuuetis. Quid enim unquam periculoſius, aut tetrius in Eccleſia Dei auditum eſt? quàm nobiliſsimam, antiquiſſimamq. Colonienſem Eccleſiam, totius fere Germaniæ primariam, non tam opibus, quam auctoritate, potentia, et ditione ampliſsimam, cuius Præſul in Rom. Imperij Electoribus quaſi pręcipuum locum tenet, ad hæretici manus perueniſſe? an non certo certius impendere hinc cernitur non modo Imperij interitus, ſed totius etiam Germanicę clariſsimæ prouinciæ clades, atque uniuerſi Chriſtiani Orbis perturbatio? Quibus quidem imminentibus malis, cum remedia omnia, quæ hactenus à Summo Pontifice adhibita ſunt, irrita prope euaſiſſe cernamus, quis non uideat ad Diuinam opem eſſe præcipue confugiendum, quemadmodum et illius ſanctitas ſapientiſsime faciendum cenſuit, dum hāc ipſam pręſertim ob cauſam, etſi non apertis uerbis, ſibi creditum à Domino Indulgentiarum theſaurum proxime aperuit, et gratiarum plenitudinem ampliſsimi Iubilæi inſtar, in omnes Chriſtifideles, quicunq. pijs precationibus, et ieiunijs, ſanctę Matri Eccleſię adeo laboranti opem ferrent, largiſsime effudit, uti uos, et accepiſſe, et ſanctiſsimę illius liberalitatis participes fuiſſe non ambigo. Verum enim uero remittente nequaquàm morbo, ſed uehementius in dies ingraueſcente, quid in remedium ſalutare, immo quaſi unicum aut ſaltem pręcipuum continenter adhibeamus, quod ſanè ut pręſtemus accuratius, illuſtre admodum Moyſis

exemplum nos admonet, atque aperte edocet, quo alte ma-
nus extollente, ac ſuſtentante, hoc eſt feruentibus precibus
Diuinam Maieſtatem ſollicitante, Iſraeliticus populus
Amalecitas ſuperabat, proſternebat, atque internicioni tra
debat euidentius: manus autem interdum fatigatas demit
tente, hoſtis inualeſcebat illico, atque in fugam Iſraelitæ
conuertebantur; Ad hanc quippe cauſam, quę uniuerſæ
Eccleſiæ communis eſt, niſi operam, ſtudiumq. ueſtrum ſe-
dulo, et promptiſsime conferatis, fratres, dubitandum certe
erit, ne myſtici Eccleſię corporis uiua membra uos eſſe ſen-
tiatis: ſiquidem graui morbo corpore laborante, omnia illius
membra, niſi fortaſſe obſtupuerint dolore, contabeſcant, ne-
ceſſe eſt. Quid uero? an non etiam peculiaris ad id uos ra-
tio hortatur? dum paſtorem, ac parentem ueſtrum ad opem
illi Eccleſię pro modulo ſuo ferendam, unà cum Illuſtriſs.
ac Reuerendiſs. Domino Legato Apoſtolico Summi ipſius
Pontificis iuſſu deſtinatum intelligitis? pro quo ſanè cum
omni tempore pias, et feruentes preces fundere debeatis,
nunc uerò maxime et ſtudioſius, et feruentius Deum opti
mum maximum ſollicitare uos oportet, quod is non modo à
uobis diutius, quàm illius deſiderium, ac Vercellenſis Ec-
cleſię neceſsitas fortaſſe poſtulat, abſens ſit, uerum etiam
plurimis difficultatibus inuolutus, atque innumeris peri-
culis, quæ explicari uix poſſunt omnia, expoſitus nunc præ-
cipue reperiatur. Has igitur peculiares preces in ſingulis
Eccleſiis habendas, uobis omnibus præſcribimus non tam ex
poteſtate nobis tradita iniungentes, quàm ex mutua, quæ
inter parentem maximis pręcipue in neceſsitatibus conſtitu
tum, et filios tranquillam ſtationem apud Eccleſias ſuas te-
nentes, intercedere debet, charitate, per uiſcera miſericor-
dię Dei noſtri rogantes, atque obteſtantes, ut eas ne unquã
intermittatis, quoad Colonienſe hoc negocium recte compo-
ſitum, afflictiſsimamq. illam Eccleſiam, priſtinam ſuam tran
quillitatem recuperaſſe intelligatis, aut ſaltem uſque ad Do-

Dominicæ

minię Natiuitatis proximę futurę ſolemnem diem peruenerimus. Deo adiuuante, incolumes. Hęc porro pauca, dum Friburgi in Briſgouia agimus, ſcripſimus ad uos, dilectiſsimi, intimo certe animi ſenſu magis, quàm calamo exarata, quæ ſane uehementer cupimus, ut uobis ſint prolixioris perfectęq. orationis inſtar, ad paternam noſtram erga uos uoluntatem, ſingularemq. amorem, atque ardens uos uidendi deſiderium apertius, fuſiuſq. declarandum ſufficiant. Cum autem ad iter in ſingulos dies paratos nos eſſe oporteat, noua Sanctiſs. Domini mandata expectantes, accurate expendatis uelim, quàm miſerabilis ſit conditio noſtra, qui ſanctis his magnę hebdomadę diebus profectiones cogitare, ac fortaſſe agere debemus. Quid autē ſi toto hoc quadrageſimæ tempore intelligeretis, ne ſemel quidem concioni ſacrę nos, aut ex familiaribus noſtris quempiam interfuiſſe, immo etiam nos ipſos frequenter in priuatis cubiculis ſacrum Miſſę facere oportuiſſe? Hęc profecto, et alia eius generis multa, quæ ſilentio conſulto prӕterimus, ſi ulla paſtoris ueſtri cura, aut ſollicitudo uos attingit, animos ueſtros debent ad intimam magnamq. commiſerationē permouere, atque non modo ad aſsiduas pro illo feruenteſq. preces, uerum etiam ad repentes coram Deo lachrymarum riuos profundendos impelleret. Pridie Non. Aprilis. M. D. LXXXIII.

Præſcriptæ certis diebus pro negotij Colonienſis difficultate preces, in vſum tunc maxime inductæ, in Cancellarij epiſcopalis tabularium relatæ ſunt.

IN hac Synodo, decreta nulla promulgata, editaue ſunt: ſed quo ſtudioſius, ac diligentius clerus in id incumberet, ut quæ ſuperioribus Synodis et prouincialibus, et diœceſanis conſtituta ſunt, in uſum, executionemq. induceret, synodalibus tribus concionibus, et omni cohortationis officio accuratiſſime mo-

nitus

nitus eſt. Et uero, ut in omnes partes diſciplinæ clericalis ſe ſe conformare oportere intelligeret, monitiones concilij prouincialis quarti Mediolanenſis, de uerbo ad uerbum eidem lectæ, ac pronunciatæ ſunt. Reliqua præterea demore geſta, actaq. ſunt.

Fidei profeſſionem præſtiterunt ex præſcripta formula quicunque Sacerdotes, et alij clericalis ordinis homines, quicunque in ſuperioribus Synodis non præſtiterunt. Quorum nomina exſcripta ſunt in actis Cancellarij.

Nominati item, et delecti ſunt examinatores ad præſcriptum concilij Tridentini: qui iuſiurandum etiam præstiterunt. Eorum nomina relata ſunt à Cancellario in acta.

Iudices quoque quibus cauſæ à Sede apoſtolica delegare poſſint, delecti ſunt, ijq. in actis deſcripti.

Teſtes etiam synodales, et urbis, et diœceſis delecti, et pronunciati ſunt. Iidemq. ſe ſe iuriſiurandi religione obstrinxerunt in munere ſuo ſincere, recteq. obeundo.

Demum indicta eſt de more proxima synodus undecima anni ſequentis. Quibus omnibus peractis dimiſſa eſt rite synodus ad præſcriptum ordinis synodalis, qui in actis explicatus eſt.

FINIS.

Laus Deo.

SYNODVS VERCELLENSIS VNDECIMA

I. FRANCISCO BONHOMIO
EPISCOPO VERCELLENSI.

GREGORII XIII. PONT. MAX.
APVD RODVLPHVM IMP.
INTERNVNCIO APOSTOLICO

Celebrata

An. à Chr. nat. M. D. LXXXIV.

PHILIBERTVS BVRVNTIVS perilluſtris, & Reuerendiſs. I. Franciſci Epiſcopi Vercellenſis

Vicarius Generalis, et Synodi præſidens.

DEO optimo, maximo, gratias agere perpetuo debemus, et publicè, et priuatim, quòd cum eccleſiam Vercellenſem multis donis, et ornamentis ſemper auxerit, tum miſericordiæ ſuæ in primis dignatione, pro temporum ratione, Epiſcopos aliquot nobis dederit, quorum Epiſcopalis ſollicitudo, et induſtria ad huius eccleſiæ, recte gerendæ laudem, maxime inſignis, præclare eluxit. In ijs præter ceteros unum recenſere optimo iure poſſumus paſtorem, patremq. noſtrum, qui his temporibus huic eccleſiæ præeſt, Reuerendiſs. Franciſcum Bonhomium, uirum optimum, epiſcopalium uirtutum ſtudio florentem, plenum pietatis, et omnis paſtoralis officij diligentiſſimum. Is igitur, ut ſancti Euſebij imitandi deſiderio, quantum in ſe eſt, maximo ardet: ita non ſolum præſens uitæ ſuæ documentis, et uirtutum doctrinis, omniq. paternæ charitatis officio nobis ad ſalutem prodeſſe ſummopere conatur: ſed etiam abſens, cœleſtis illius patroni noſtri exemplo ſibi propoſito, nihil non agit, nihilq. non attingit, ut ad omnem iam diu inchoatæ diſciplinæ progreſſionem ſtudia noſtra incendat. Superiore proximo anno in

ſummo, grauiſſimoq. negotio Colonienſi, quod maximis difficultatibus implicitum, è dignitate ſedis apoſtolicæ ſapienter geri, ac recte confici debebat, ut ne quid eccleſia detrimenti pateretur, ille cum in primis uerſaretur, quamuis à muneris, quod pontificio nomine in re tanta, tamq. periculoſa ſuſtinebat, cura nullum ferè otium habebat: tamen ſynodi Vercellenſis decimæ tempus cum adeſſet, recordatione excitatus ſollicitudinis epiſcopalis, quam in ſynodalibus actionibus diligentem præſens perpetuo præſtitit, per litteras etiam abſens nos paterne hortari, monereq. accuratè non deſtitit, quæ opus eſſe cenſuit cum ad officij noſtri partes, in ſynodo recte exequendas, tum uero ad cauſam eccleſiæ publicam, quàm pro dignitate agebat, precibus iuuandam. Eas igitur epiſcopales litteras is, cui Reuerendiſſ. Epiſcopus dederat, cum Mediolani in mora fuiſſet, ſero quidem reddidit, quo factum eſt, ut neque in ſuperiori synodo lectæ ſint, neque propterea executionem habuerint, quam nos præſtare debebamus. Cum autem in illis multa ſint, quæ ad curæ epiſcopalis, paternæq. charitatis, et religioſæ pietatis laudem inſignia, et nobis aliquando uſui, et poſteris exemplo eſſe poſſunt, operæpretium cenſuimus, earum litterarum exemplum in hac ipſa synodo, de more, publice recitari, in actaq. deinde ſuperioris proximæ synodi, ordine, recteq. referri, ut epiſcopalis illius ſollicitudinis in animis noſtris impreſſa, et poſteritati diligenter aſſeruata, omnium deſiderium excitent, et re-

cte

ćte agendi, et egregie imitandi, quæ omnibus etiam præclare propoſita ſunt ad omne imitationis ſtudium. Litteras quoque, quas idem Reuerendiſs. Epiſcopus, nobis in hac ſynodo, quæ vndecima eſt, congregatis, ſcripſit, publicè lećtas, in ačtis quoque huiuſce ſynodi, illius vere epiſcopalis charitatis perpetuo teſtificandæ cauſa, rećte exſcribi cenſemus, vt infra.

I. FRANCISCVS EPISCOPVS CLERO SVO VERCELLENSI, in ſynodo diæceſana undecima congregato,

Salutem ſempiternam.

DVM tertiam poſt diſceſſum à uobis noſtrum diæceſanam Synodum proximè habendam reminiſcimur, dilectiſsimi in Chriſto fratres, non poſſumus non magnopere dolere, atque affligi, angiq. animo. Quamuis enim multas ob cauſas omniq. tempore ad uos redire ex intimo cordis affećtu cupiamus, idque præcipue à Domino Deo quotidianis precibus noſtris obnixe flagitemus: certis tamen anni temporibus, quibus maiorem ſpiritalem conſolationem uobiſcum capere conſueueramus, ardens hoc deſiderium moleſtius nos exagitat. In ijs uerò, ut primum ferè locum tenebat anniuerſaria illa diæceſanæ Synodi ačtio, quæ inter Paſchales dies, lætitia, et exultatione plenos, ſua etiam ipſius celebritate, et frequenti iſto conſeſſu ueſtro, multo iucundior reddebatur, ita nos, dum optatiſsima iſta lætitia, et iucunditate nos tertiò iam carituros intelligimus, non ſine magno animi dolore, atque acerbitate, talem, tantamq. iačturam ſentire, atque moleſtiſsime ferre poſſumus. Cum autem Summi Pontificis, Chriſtiq. Vicarij, cui omnem debe-

mus, ac profitemur obedientiam, iuſſa, cupito ueſtro aſpectu frui, uobiſq. adeſſe hoc tempore non ſinant, animo ſaltem, ſpirituq. ipſo adeſſe certe non prætermittemus: quem ſanè, ſi corporeis oculis diſcerni poſſet, cerneretis inter uos uolitantem, atque unumquemque ueſtrum paterne ſalutantem exciperetis, omniq. ſtudio, et charitate obteſtantem, ut omnes conditionis, officijq. ſui memores, partes impleant ſuas, ſi unquam aliàs, nunc præſertim, nobis tamdiu à noſtro grege abſentibus, in tuendis ouibus Dominicis à lupis, urſis, leonibuſq. ſpiritalibus, et Dæmonibus meridianis, qui ſemper caulas Chriſti circumeunt, quærentes quos deuorent, hoc eſt, eas omni ſolicitudine cuſtodiant, auertantq. à peccatis Diuinæq. legis præuaricationibus: qui autem peculiariter commiſſos non habent greges, ſimulq. cæteri omnes in id inuigilent, ut animas precioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptas, atque ad putredinem peccati procliues, ſale euangelico condiant, lumen caſtitatis, morumq. ſanctitatis alijs præferant, ad rectam mandatorum ſemitam percurrendam, ab impiorum uia declinandum, atque ad omnem bonorum operum, et uirtutum Chriſtianarum perfectionem ſtudioſe perquirendam reque ipſa aſſequendam: quò populus uniuerſus noſtræ, ueſtræq. curæ concreditus, à Vercellenſi Clero ſalutari doctrina imbutus, ſanctiſq. moribus informatus, fuiſſe dignoſcatur, quo præſertim tempore, ſui paſtoris præſentia tamdiu deſtitutus caret. Quamobrem et Clerum, et populum, eò uigilantius, atque accuratius in id incubuiſſe omnibus teſtatum fiat, ut ob paſtoris abſentiam non modo detrimentum aliquod ſpiritale acciperet Vercellenſis Diœceſis, uerum etiam magis ſolito in diſciplina Chriſtiana proficeret, ad finitimorum populorum ſalutare exemplum, atque ſpiritalem Chriſti Eccleſiæ ædificationem. Cæterum poſt quã ſpiritum, deſideriumq. noſtrum oculis neque aſpicere, neque audire auribus poteſtis, ad hoc literarum adminiculum confugimus, uobiſq. potius ad memoriam reuocamus, quàm

aperire neceſſarium ducimus , paternam noſtram ergà uos charitatem , continuamq. uos reuiſendi cupiditatem , omnem uobis gratiarum cœleſtium abundantiam à Domino precamur, atque largiſsimam benedictionem Epiſcopali noſtra, qua fungimur , auctoritate ex intimis animi ſenſibus impartimur , ut iſtam Synodum uberrimo cum fructu celebretis , indeq. abeatis ſpiritu ſancto pleni, atque adeo Dei gratia muniti , ut unuſquiſque ueſtrum ad ſua munera obeunda , et audentior , et fortior , et prudentior ad ſtationem ſuam reuertatur. Illud porrò petimus ſpeciatim , pro mutua, quam paſtori ueſtro debetis, charitate, ac beneuolentia, ut pro nobis, noſtriſq. neceſsitatibus, quæ quidem neque paucæ, neque exiguę ſunt, proq. negotijs Catholicam religionem , uniuerſamq. Chriſtianam Rempublicam ſpectantibus , peculiares aliquas preces inſtituere , et habere non grauemini, quæ non iſta in Synodo modo fiant , uerum etiam, abſoluta Synodo , ad aliquod temporis ſpaciũ , quod pietati ueſtræ opportunum uidebitur , deinceps continuentur. Etſi enim Colonienſes turbationes, quas ſuperiori anno tantopere uobis commendauimus , quod ad nos, officiumq. noſtrum pertinebat, ſatis fœliciter compoſitæ ſunt, quę Dei gratia ſingularis fuit , non ſolum impio Gebhardo Apoſtata depoſito , uerum etiam ex illius celeberrimæ Eccleſię Capitulo hęreticis uiris exturbatis , cleroq. uniuerſo è concubinatus cœno educto, atque ſimonię labe, qua plurimi ſanè infecti erant, expurgato , quantum et temporis anguſtia , et rerum ſtatus, noſtraq. corporis imbecillitas, atque ęgritudo, qua toto fere illo tempore non leuiter laborauimus, ferre uidebantur, non ideo tamen ceſſandum uobis eſt, Chariſsimi, à ſolito piarum precationum ſuffragio, patri, paſtoriq. ueſtro ferendo. Quid enim? ſi uobis ob oculos ponere liceret, Diaboli, eiuſq. membrorum, hominum uidelicet hęreticorum , qui ſanè haud dormiunt , ſed peiora in dies moliuntur , ut Catholicę Religioni in uniuerſa hac Germanię prouincia , et Vngarię , Bohemięq. Regnis fundamenta funditus euertant,

tant, radiceſq. etiam radicitus extirpent, dolos, atque inſidias, impiaſq. et continuas machinationes? atque ex altera parte debitum officium meum, oneriſq. noſtris humeris impoſiti magnitudinem, nempe, uniuerſam hanc, et uaſtiſſimam Germanię prouinciam, Regnaq. et ditiones omnes, quę Rudolphi Cæſaris imperio parent, cuſtodiendi, atque ab hoſtium ſpiritalium fraudibus, ac uiribus tuendi catholicam Religionem; ubiq. iam propè extinctam, reſtituendi, atque ubi reliquiæ adhuc ſuperſunt, eas conſeruandi, et, quoad eius fieri poteſt, augendi, propagandiq. aut Catholicos ſaltem caſtis moribus, Chriſtianæq. diſciplinæ pręceptis, ne Hæreticis ipſis ſcandalo ſint, informandi: et, quod ſi in his negligentes, aut ſegnes fuerimus, ita ut monere, uel ſpeculari, ubi opus fuerit, prętermiſerimus. Heu heu, nonne ſanguis eorum qui perierint, de manibus noſtris, teſtante apud Ezechielem Domino, requiretur? Quid uero hic reliqua commemoremus? quæ in ſacris literis repetita, quaſi dira fulmina paſtorum auribus inſonant? necnon ſanctiſſimos, et uigilantiſſimos quoſq. Antiſtites perterrefacere, ac prope exanimare queunt. Noſtis, chariſſimi, infirmitatem, debilitatemq. noſtram, noſtis quàm frequenter, quamq. multum in paſcendo, cuſtodiendoq. Vercellenſi grege defuimus paſtorali muneri noſtro, non quidem ſtudio, ac uoluntate, ſed prudentia, ſed fortitudine, ſed uigilantia, ſed ſancta illa ſolicitudine, quæ propria boni paſtoris eſſe debet, qua quidem beatiſſimus Paulus Apoſtolus, ſe magis affligi, quàm quibuſuis alijs uexationibus, ac ſupplicijs, quæ plurima ſe perpeſſum fuiſſe in corpore, et animo proxime narrauerat, atque angi aſſidue teſtatum reliquit. Multa igitur in Eccleſiæ noſtræ Vercellenſis cuſtodia, atque gubernatione negligenter admiſerim, ubi centum circiter quinquaginta animarum millia curæ noſtræ tradita ſunt paſcenda, cuſtodiendaq. hic autem, ubi fere totidem animarum miriades nobis creditæ ſunt regendæ, atque gubernandæ, aut ad ueritatis ſemitam reuocandæ, noſtro muneri ſatisfaciemus exactius?

Hic

Hic ubi, etſi uaſtus hereſum Oceanus, qualem profecto nulla uiderunt ſecula, inuentus eſt, populi tamen, ut plurimum ab impoſtoribus decepti, uel à Principibus coacti potius quàm propria ipſorum malitia in damnationis ſtatu reperiuntur, atque ita de illorum ſalute non uidetur adeo deſperandum, ſi debitis rationibus iuuarentur, ubi de auertendis bellis, quæ quotannis ingruunt, uel de conſeruanda teterrima pace, quæ longe miſerabilius omnes ferè animas, atque ipſam etiam politicam omnem Catholicorum poteſtatem ad interitum perducit, conſultatur, ſique tuam proferas ſententiam, uel te in ſuſpicionem trahi, uel illam nihili fieri iure timeas: ſi taceas, Dei minas, uindictamq. ſentias: ubi ſexcenta alia pericula, atque incommoda, ruinaſq. imminentes proſpicias, neque aliquod remedium adhibere, opemue ferre noueris, uel etiam queas fortaſſe? Quid uerò? illud ipſum cœleſte auxilium, quod pijs precationibus, longoq. orandi uſu, et aſſidua rerum ſpiritalium, paſtoraliumq. actionum exercitatione apud uos, dilectiſſimi, nobis comparare in grauioribus rebus, et difficilimis deliberationibus aliquando licuit, non dicam equidem interdictum, ſed ob peccata, miſeriaſq. noſtras ita nobis difficile eſſe iam redditum, ut uix ullam in eo ſpem, fiduciamq. ponere poſſe nobis, ipſi cenſeamur; cum à paſtoralibus omnibus functionibus, atque à uerbi Dei prædicatione planè temperandum ſit, niſi interdum cum familiaribus noſtris aliquid intra parietes colloquamur, quod ipſum tamen frigide, et ieiune admodum agitur, atque ab omni etiam fere orandi exercitatione iam paulatim deſueuerimus, pluribus nempe ſecularibus negocijs implicati, et perpetuæ aulicorum hominum familiaritati, et conſuetudini ita obſtricti, ut ab illa ſine aperta muneris noſtri nota abſtinere nobis haud liceat; ut à Sacroſancto etiam ipſo Miſſæ ſacrificio, quod unum rariſſime, Dei gratia, intermittere ſolemus, interdum ſatius ducamus abſtinere, quàm diſtracte, et negligenter adeo paratos ad altare accedere. Multa alia præterire lubet conſulto, quę ſcribere non oportet,

quæ

quę quidem ſi uobis proponerentur, uos utiq. ad maiorem noſtri commouere poſſent commiſerationem. Parentem igitur ueſtrum, in tantis curarum procellis, in tam multis, magniſq. periculis conſtitutum intelligetis? Catholicam ipſam Religionem, in his partibus noſtræ curę concreditis, adeo laborantem, uel potius grauiſsime periclitantem, aſpicietis? neque illi opem, quam facile poteſtis, ex tranquilla iſta ueſtra ſtatione conferetis? Hanc profecto à uobis neglecti officij culpam non expectamus: immouero nobis ipſis omnem filialis ueſtrę erga nos pietatis, ac ſolicitudinis ſignificationem pollicemur. In precibus autem ipſis illud, quàm maxime poteſtis, obnixe à Domino petite, ut abſentiam hanc noſtram, alijs certe, quantum nos iudicare poſsumus, parum fructuoſam, nobis autem ipſis admodum grauem, uobiſq. etiam haud parum damnoſam, triennio iam ferè integro peracto, diuturniorem eſſe non patiatur, quo ad eius tamen per ſanctiſsimam ipſius uoluntatem, perq. Summi Pontificis iterum dico, ueri ipſius in terris Vicarij, obedientiam fieri poſsit. Hęc ſanè pauca pro ardenti noſtro erga uos affectu, proq. eximio uos reuiſendi deſiderio, non effundere non potuimus, ut, qua licet, ratione intimos animi noſtri ſenſus, paternamq. noſtram erga uos charitatem in iſta Synodo cunctis teſtatam faceremus. Optime ualete in Domino fratres, ac filij chariſsimi atque in Chriſto Ieſu deſideratiſsimi, omnibus Diuinæ gratiæ muneribus magis, ac magis in dies cumulati, ite, et redite ad Eccleſias ueſtras læti, et gaudijs ſpiritalibus pleni, et cum exultatione portantes manipulos cœleſtium chariſmatum plenos. eaq. ſpe ferè certa confirmati, ut proxime ſequenti anno ad duodecimam Synodum conuenientes, nos ipſos reuiſere, et ſalutare queatis, promiſſaſq. Synodales conſtitutiones de manibus noſtris accipere, Chriſto Domino adiuuante, qui uiuit, et regnat in ſempiterna ſeculorum ſecula Amen. Gratia eiuſdem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſit ſemper uobiſcum. Amen. Pragæ Calendis Martij M. D. LXXXIV.

IN

HIs litteris, quæ modo lectæ, et pronunciatæ ſunt, decreta adiŭcta accepimus, quæ idem Reuerendiſſimus Pater noſter pro ſuæ erga nos epiſcopalis ſollicitudinis ſtudio, ad diſciplinæ clericalis eccleſiaſticæq. progreſſionem, condidit, in hocq. ipſo synodali conuentu, proponi, promulgari, atque edi mandauit. Noſtri igitur officij, munerisq. partes ſunt, ad illius præſcriptum, id maxime curare, ut ea ipſa de uerbo ad uerbum pronuncientur, diſtincteq. perlegantur. Quamobrem ea iam nunc recte enunciari, de moreq. euulgari iubemus.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

NOs Ioannes Franciſcus, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellarum, et Comes, ad Dei omnipotentis, beatæq. Mariæ, ſemper uirginis, ac ſancti Euſebii Epiſcopi, et martyris laudem, hæc pro chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum, populumq. fidei noſtræ concreditum, prælucere, totis in Chriſto uiſceribus expetimus, in noſtra ſynodo diœceſana undecima decernimus, ſtatuimus, ac ſācimus.

DECRETVM. I.

ILlud eccleſiaſtici inſtituti olim fuit, in unaquaque synodo, ſcrutinium cleri, recte, atque ordine fieri, ut, quæ de clericalis uitæ moribus, præſcripta eſſent, in dies diligentiorem executionis uſum haberent. Quam ſane ſcrutinij rationem, et ſi intermiſſam uidemus, quoniam tamen cum synodalium actionum rationibus congruentem, in omnesq. partes utilem, et clericalis uitæ progreſſionibus ualde accommodatam eſſe cenſemus, eam ad omnis anniuerſariæ synodi noſtræ conſuetudinem, tanto ſtudioſius reuocamus, quanto accuratius illam, ab religioſiſſimo Metropolitano noſtro, omnis piæ inſtitutionis, ueteriſq. diſciplinæ inſtauratore diligentiſſimo, cuius ueſtigia imitanda optimo iure nobis propoſuimus, plane reſtitutum eſſe animaduertimus. Itaque de ſcrutinio synodali hæc decernimus.

Primum ſcrutinij huius præfectos deligi uolumus, eccleſiaſtici ordinis homines, præſertim in ſacerdotio conſtitutos: qui ætate, moribus, doctrina, et diſciplinæ potiſſimum eccleſiaſticæ uſu, synodaliumq. decretorum, et conſtitutionum cognitione præſtent: quiq. omni alia ratione accuratas huius muneris partes, ſapienter, et eccleſiæ, nobis commiſſæ, inſtitutis congruenter, ac recte exequi poſſint. Id uero omne, cum præſentes, Deo iuuante, in synodo aderimus, quantum in nobis eſt, ſicut præcipua quadam ſollicitudine ſpectabimus, atque animaduertemus: ita, qui synodalibus actionibus præerit, cum

nos

nos abeſſe contigerit, hoc ipſum proſpiciat, et conſulat etiam atque etiam diligenter: cum in recta ſcrutinij ratione poſitum ſit disciplinæ clericalis exequendæ præſidium non minimum.

Præfecti, qui deligentur, quinque, pluresue ſint, prout, et cleri synodalis multitudo, et clericalium morum ratio, et temporum etiam conditio tulerit.

Ii uero ſcrutinij, normam teneant ad præſcriptum tabellæ ſequentis: cuius ratio, et longior, et breuior ſit, ut expedire uidebitur.

Tabula ſcrutinii Synodalis.

Primum igitur in ſingulis, tam Sacerdotibus, quàm diaconis, ſubdiaconis, et clericis cuiuſcunque ordinis uideant hæc.

An breuiarium habeant, an cum ſignaculis.

An recte compactum, decoreq. opertum.

An calendarium anni præſentis.

An indicem librorum, quos quiſque poſſidet, propria manu ſignatum.

An ſuperpelliceum ad formam præſcriptam.

An idem nimis ſordidum.

An laceratum.

An aliqua ex parte indecens.

An decenter indutum.

An elaboratum nimis: an ornatu nimis artificioſo in humeris.

An ſupra ueſtem exteriorem.

An tonſuram patentem, et latam ad præſcriptum formæ pro ratione ordinis.

An comam nutriant: an barbam item: an pilis præciſis labro ſuperiore, ac non acutam omnino.

An togam talarem: an collo annexam.

An ueſtem interiorem, talari breuiorem.

An colore nigro.

An ſericas exquiſitas, ſericoue ornatas, alioue ornatu intextas.

An ueſtes ſordidas nimis.

An cingulum coriaceum, an militare.

An caligas turgidas: an nauticas, an uetito colore.

An collarium ſimplex, ſineq. ullo ornamento.

Hæc autem, quæ ſequuntur, generatim, prout temporis ratio tulerit, ordoq. eccleſiaſticarum perſonarum poſtulabit.

Quæ uitæ ratio, conſuetudo, ſeu conuerſatio.

Quæ ſtudia.

Quæ exercitationes orationis, præſertim mentalis.

Quæ peritia, uſuſq. diuini officij recte, pieq. recitandi.

Quæ in Sacerdotibus peritia rituum, et cærimoniarum in Miſſa celebranda.

A Canonicis hæc præſertim perquirantur.

De chori diſciplina, ſtatiſq. cærimonijs.

De pſallendi peritia, et uſu.

De modo celebrandi Capitula.

De

De ratione capitulorum ſpiritualium.
De reliqua omni tractatione capitulari.
An capitulariter chorum ingrediantur.
An Martyrologium in choro legant.

In Parochis hæc præſertim uideant.

An perpetuo, et aſſidue aſſiſtant, et inuigilent gregi.
Qui eorum zelus in ſalute fidelium procuranda.
Quæ eorum diligentia in ſacramentis miniſtrandis.
Quod ſtudium in uerbi Dei prædicatione.
An in quatrageſima concionati ſint, quibus diebus, anq. frequentius, quàm antea conſueuerant.
Quæ cura erga infirmos.
Quàm diligens ſollicitudo. { *In diuinis officijs.* / *In funeralibus.* / *In proceſſionibus.* }
Quæ diligentia in exercitatione populi ad ſtatas orationes.
Quàm accurata inſtantia in feſtorum dierum cultu obſeruando.
Quæ uigilans eorum cura in ſcholis doctrinæ chriſtianæ.
Quæ ſollicitudo in ſpeculatione populi.
Quæ ſalutaria eorum monita.
Quæ uigilantia in reliquis parochialis muneris partibus.
De clerico parochiali quærant item.
An præterea parochialis eccleſiæ conſecrationis certum feſtum diem habeant, an celebrent.

An

An libros præſcriptos, an litteras Epiſcopi paſtorales habeant.

An aquam baptiſmalem toto anno aſſeruent.

Ab iiſdem de populo quæratur.

Quæ populi diſciplina!

Quæ progreſſio in uia Domini.

Quæ eius frequentia in ſcholis doctrinæ chriſtianæ.

Quàm pia eius conuerſatio in eccleſijs.

Quàm religioſa ieiuniorum obſeruatio: an ad præſcriptum decretorum ſynodalium.

An inconfeſſi.

An excommunicati.

An qui, perdite uiuendo, publicam offenſionem præbeat.

An rurſus aliquæ prauæ conſuetudines.

An peccata publica.

An ſuperſtitiones.

An uelato capite mulieres in eccleſiis, et proceſſionibus: an item ſeparatæ à uiris.

An uiri utroq. genu flexi Miſſæ interſint.

An populi orationem communem mane, et ueſperi, et aliam pro mortuis ad ſonum campanæ habeant.

De clericis minorum ordinum.

An inſtituta uitæ clericalis teneant.

An officium beatæ Mariæ, anue Roſarium dicant.

An alicui eccleſiæ adſcripti ſint.

An functiones præſcriptas exequantur.
An rite.
An humiliter.
An rite Miſsæ miniſtrent.
An in eccleſiis præſcriptis.
An teſtimonium præſtitarum functionum attulerint ſuo tempore.
An feſtis diebus ſcholas doctrinæ Chriſtianæ adiuuent.
An hymnos eccleſiæ ediſcant.
An progreſſionem in diſciplina clericali habeant.
An operam litteris dent, ſcholas frequentent; et quos libros habeant.
Quo ludi magiſtro utantur, eccleſiaſtico, an ſeculari.
An parocho, Præfectis, et uiſitatoribus obediant.
An maiores natu reuereantur.
An honore ſe inuicem præueniant.

De eccleſiis hæc.

Qui eccleſiarum cultus.
Qui earum ſtatus.
Quàm accurata bonorum, iuriumq. eccleſiaſticorum conſeruatio.
Quæ ſacriſtiarum ſupellex.

*V*NIVERSE, *accurate inueſtigent quàm diligens executio decretorum prouincialium, et synodorum diœceſanarum, et edictorum epiſcopalium, et uiſitationum.*
Ac præterea generatim cuncta ſcrutentur, quæ pro pruden-

tia

tia ſua uiderint expedire, ſacerdotalis, et clericalis, canonicalisq. potiſſimum uitæ progreſſionibus.

DECRETVM. II.

CONCILII prouincialis ſexti decreta, anno proximo ſuperiore, quo tempore synodi decimæ celebritas acta eſt, cum in lucem nondum emiſſa eſſent, non potuimus pro eo ſane, quod ex inſtituto, vſitatoq. more, atque ex synodali ſanctione debemus, illa in eo diœceſano conuentu uobis proponere, atque euulgare. Nunc autem poſtquam illa in lucem prodierunt, pro officij noſtri munere, uobis uniuerſis, et ſingulis promulgamus, et de uerbo, ad uerbum, ut moris eſt, legi, recitariue mandamus.

Et quoniam ritus, et diſciplina poſtulat, ut decretis lectis, hymnus, Te Deum, à clero deuote canatur: nos, poſt illius concilij euulgationem, et lectionem eodem hymno pie, religioſeq. gratias Deo agamus, qui miſericordiæ ſuæ erga nos abundantia id tribuit, ut ſanctarum uirtutum diſciplina, ex concilijs prouincialibus in dies uberius ad nos dimanante, in omnes partes conformemur, atque adeo excitemur ad ſancte agendi ſtudiorum.

DECRETVM. III.

METropolitani cura, libellus de concionatorum inſtructione confectus, et editus, cum non modo utilis ſit, uerum etiam apprime neceſſarius ijs, qui Predicationis

uerbi

uerbi Dei munus obeunt, eum iubemus, ut Parochi comparent, perlegant, ad eiuſq. rationem, prædicandi officium dirigant. Quod idem ſedulò præſtent concionatores.

DECRETVM. IIII.

INdulgentiarum, quæ huius prouinciæ fidelibus à S. D. N. Papa Greg. XIII. conceſſæ ſunt, tabulam, iuſſu noſtro editam tam, ut Chriſti fideles, noſtræ curæ concrediti, his indulgentiarum theſauris, et muneribus pie ſalutariterq. uti poſſint, Parochi omnes habeant, et prout uſu euenerit, euulgent. Ac præterea loco conſpicuo, in quarumuis eccleſiarum ſacriſtijs, illa ipſa affigatur, et habeatur.

DECRETVM. V.

MArtyrologium, quod nuper ſanctiſſimi Gregorij Papæ mandato emendatum eſt, atque correctum, in collegiatis omnibus eccleſiis habeatur, atque in ijs itē, etiam regularibus, in quibus quotidie, uel aliquando horæ canonicæ palam recitari ſolent: reliquorumq. Martyrologiorum uſu remoto, et abdicato, deinceps in primæ horæ canonicæ officio, idem in dies ſingulos adhibeatur. Nec tamen propterea prohibemus in eccleſiarum archiuijs ad alijſue hominibus aliorum Martyrologiorum uolumina perlegi, detineriue: quinimò eos plurimum commendamus, qui ſæpius libros huiuſmodi præ manibus habuerint,

rint, eum potiſſimùm, quem Petrus Galeſinius, uir doctrina et pietate celebris, ac de uniuerſa Dei eccleſia optimè meritus, ſumma diligentia, et induſtria edidit, notationibus egregijs additis, quæ multiplici ſunt antiquitatis eccleſiaſticæ eruditione, doctrinaue refertæ.

DECRETVM. VI.

CAlendarium item, quod idem ſummus Pont. graui conſtitutione edita, pro anni correctione emitti, et edi præcepit, et ab omnibus, quibuſcunque perpetuò et recipi et obſeruari, Parocchialibus omnibus in ecclesijs habeatur, et aſſeruetur: et ad illius rationem futuris temporibus ſolemnitates, et celebritates anniuerſariæ recolantur.

DECRETVM. VII.

AD noſtræ Vercellenſis eccleſiæ uſum, annuum calendarium, ab ipſo etiam noſtri epiſcopatus initio, ex prouincialium Synodorum decretis quotannis confici, et edi curauimus: illud tamen hucuſque cum nigro tantum fuerit ſemper attramento impreſſum, eam diſtinctionem non habuit, quam celebritatum diuerſitas, et libelli ratio poſtulate uidetur. Vt igitur deinceps feſtiuitatum, et aliorum dierum diſtinctio haberi, et facilè internoſci poſſit: calendarium noſtrum huiuſmodi, et diuini officij recitandi rationem, ordinemue rubris, et nigris litteris, in annos ſingulos, perpetuò, ritè diſtingui, et imprimi, qui huic muneri præfuerint, omnino procurent.

DE-

DECRETVM. VIII.

QVAE de ſanctimonialium gubernatione, et cura, in ſex prouincialium decretorum libris, hactenus ſalutariter conſtituta fuerunt, Metropolitani iuſſu in uulgarem ſermonem conuerſa, atque in unum uolumen digeſta ſunt. Eorum igitur quodlibet ſanctimonialium noſtræ urbis, et Diœceſis monaſterium ſex ſaltem uolumina comparet, quæ ſanctimonialibus in uſu ſint. Præfecta autem quæuis, illa ſæpe priuatim, et in communi, omnibus præſentibus legi curet, et iubeat ſedulò atque accurate ſeruari: ſumatq. de iis, qui contra ea fecerint, pœnas, iiſdem conſtitutionibus præſcriptas.

Confeſſarij etiam earum ordinarij librum huiuſmodi omnino habeant, quem etiam perlegant et intelligant: ad eiuſq. ac propriæ munaſterij regulæ præſcriptum ſingularum ſanctimonialium mores ritè conformari diligentiſſimè ſtudeant.

DECRETVM. IX.

DE feſtorum obſeruatione, et decretis synodalibus, et peculiari item edicto, aliàs multa decreuimus, præter illa, quæ cumulatè concilijs prouincialibus præſcripta iam fuerant: ea tamen hactenus à pluribus negligi, et poſtponi uidentur. Curent igitur Parochi, omni piæ cohortationis, et ſollicitudinis ſtudio illa in poſterum, in ſua quiſque parochia, ſedulo ac diligenter ab omnibus obſeruari. Præcipuam uero curam ponant, ac diſpiciant,

ne quidquam etiam eſculenti, uel poculenti, tabernarum ualuis patentibus, aut certè horis uetitis, uenundetur. Si quos contra facere compererint, quàmprimum ad noſtrũ Vicarium generalem deferre ne omittant: qui in delinquentes, pro delicti grauitate, cenſuris eccleſiaſticis, et mulctis, ut expedire cenſuerit, omnino animaduertat. Ne autem ad nundinas, quæ certis alijs diebus, ut pote S. Euſebij patroni noſtri, cal. Auguſti, et SS. Philippi et Iacobi, cal. Maij. S. Mathiæ, et Omnium Sanctorum, Vercellis, aut alibi in Diœceſi, feſtis, ex præcepto eccleſiæ ſeruandis, haberi conſueuerant, et modo iam uetitæ, interdictæue ſunt, homines, huius prohibitionis neſcij, ac ignari, conueniant, prout adhuc inueterati huius praui uſus nondum obliti, confluere non deſiſtunt; ijdem parochi, dominico eo die, qui nundinas huiuſmodi octo diebus ſaltem præceſſerit, populum omnino commonefaciant, illis feſtis diebus nundinas nullo modo habendas fore, ſed illas tantum poſtero die incohandas, qui tamen feſtus non ſit.

DECRETVM. X.

QVod antiquiſſimi in eccleſia inſtituti eſt, et non ſine myſterij ſignificatione introductum, ut pax intra Miſſarum ſolemnia clero, populoq. detur, id in omni urbis, diœceſiſq. noſtræ collegiata, parochiali eccleſia inſtitui, atque adeo ac fieri mandamus: ut Dominicis, feſtiſq. diebus, clero, et populo uniuerſo, nempe primum maribus,

maribus, deinde fœminis pax per Diaconum, aut clericum, qui in Miſſa miniſtrat, tabellæ præbeatur inſtrumento, aut tabella ſacræ imaginis ad præſcriptum inſtructionum Mediolanenſium.

DECRETVM, XI.

ANniuerſarijs his in ſolemnitatibus, ut pote in Natiuitate Domini, Paſcha reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, Aſſumptione, et Natiuitate beatæ Mariæ uirginis, die feſto ſancti patroni, Euſebij, uel alterius, cuius nomine eccleſia nuncupatur, atque in alijs etiam celebritatibus, quas ex uoto, deuotioneue publica agi contigerit, ad omnem eccleſiæ ſupellectilem, atque apparatum, munditia quàm accuratiſſima adhibeatur: omniaq. quàm nitidiſſima fiant, et in primis pictura ſacra omnis ad præſcriptum libri, qui de munditia eccleſiarum, iuſſu Metropolitani edetur, ex decreto prouinciali.

DECRETVM. XII.

ET Gangrenſis, et Maguntinæ synodi canone grauiſſime de ijs ſtatuitur, qui ieiunia uiolant. Quam culpam quoniam fideles ſæpe contrahunt, propterea quod ſtatos illos dies, quibus ieiunandum eſt, aliquando ignorent, cum ad eccleſiam parochialem, ubi illa denunciari, indiciue moris eſt, minus frequenter, præſertim diebus Dominicis, conueniant: ideo nos præter id, quod in synodo prouinciali ſexta de frequenti ad eccleſiam parochialem

chiālem conuentu ſtatutum eſt: hoc etiam decreto cauere uoluimus, ne quid per imprudentiam in ieiunij obſeruatione peccetur. Itaque, ut fideles omnes, certo ſigno uniuerſe moniti, illos dies, quibus uel præcepto eccleſiæ, uel conſuetudine, uel uoto publico ieiunandum eſt, non modo intelligant, ſed ad ieiunium rectè, ſancteq. parent; nos præter illam denunciationem, quæ die Dominico de more fit, pridie etiam eius diei, quo ieiunandum eſt, prima fere hora noctis, certa aliqua campanæ pulſatione, quæ per dimidium quadrantis horæ fiat, ieiunij ſignum populo in unaquaque eccleſia parochiali dari iubemus.

DECRETVM. XIII.

PArochus, ſingulis diebus Dominicis, præter orationem quam ex decreto concilij prouincialis tertij populo intra Miſſarum ſolemnia enunciet, hanc etiam mox præſcriptam peractis ueſperarum officijs, euulget, ut ad precationem populus aſſueſiat, qua præter aliàs neceſſitates, pro ijs etiam, ut infra, in ſingulas hebdomadæ ferias deuotè, pieq. oret.

Die Dominico in ueſpertina oratione.

Oret pro exaltatione ſanctæ matris eccleſiæ, et pro ſalute ſummi Pontificis.

Feria II. in oratione matutina.

Pro animabus defunctorum, quæ in purgatorio ſunt.

Pro ijs item, qui in peccandi conſuetudine uerſantur, ut in uiam bene agendi redeant.

Feria

Feria III.

Pro Metropolitano, et propter Epiſcopo, omnibuſq. eius miniſtris.

Pro omnibus item, uniuſcuiuſque ordinis eccleſiaſtici hominibus.

Feria IV.

Pro Sereniſsimo Duce, et omnibus chriſtianæ Reip. principibus.

Pro eorum pace, perpetuaq. concordia.

Feria V.

Pro hæreſum extinctione.

Pro infidelium etiam conuerſione.

Feria VI.

Pro captiuis, pauperibus, egentibus, et afflictis.

Sabbato.

Pro rerum ſpiritualium progreſsionibus, et propagatione.

DECRETVM XIIII.

VT cathedrali, alteriue matrici eccleſiæ honor debitus à cœteris omnibus eccleſiis ubilibet tribueretur: Leo decimus, in Lateranenſi concilio, omnium, quod ad hoc attinet, priuilegijs abrogatis, pœnituſq. reſciſsis, perpetua conſtitutione prohibuit, et centum aureorum nummùm pœna conſtituta, ſanciuit, ne Sabbato ſancto in quibuſuis, etiam regularium, eccleſiis, campanis ante pulſaretur, quam in matrice id præſtitum fuiſſet. Hanc cum æquitatis ratione congruentem ſanctionem, nos in

Dioceſana

diœceſana Synodo tertia, nulla tamen ijs, qui contra fecerint inobedientibus pœna propoſita, iam edidimus. Et quoniam deinceps aliqui nulla, uel Pontificiæ, uel epiſcopalis noſtræ conſtitutionis habita ratione, aliud contra facere auſi ſunt, ne propterea in poſterum aliqua ignorantiæ, uel contrariæ forſan conſuetudinis excuſatione ſe tueri poßint, eccleſiarum Præfectos, etiam cuiuſuis ordinis, et congregationis regulares, monitos eſſe uolumus, ſi contrafecerint, uel à ſuorum aliquo contra fieri quocunq; modo permiſerint, ſe eam ſancitam pœnam, ſoluturos. Quam pœnam ut fori epiſcopalis miniſtri continuò, atque confeſtim exequantur, Epiſcopali alia non expectata iuſsione, mandamus.

DECRETVM XV.

SI quæ mala in cleri diſciplina radicem aliquam, uel minimam, aliquando agere uidentur, nos ſanctißimorum patrum auctoritas id plane admonet, ut ea abſcindamus, quo ampliorem creſcendi locum bona inueniant. Quocirca ad cetera decreta, quæ in concilijs, et prouincialibus Mediolanenſibus, et diœceſanis noſtris, de uita, et honeſtate clericorum edita ſunt, hæc etiam adiungenda cenſuimus.

Ne clericalis ordinis homines eodem curru ſimul uehantur, quo mulieres.

Natare in fluminibus, aquiſue, quæ hominum aſpectui patent, clericis omnino nefas ſit.

Ne

Ne ſacerdoti, clericoue cuiuſuis ordinis, pecuniam, veſtem, remue cuiuſcunque generis aliam, depoſiti, ſequeſtri, cuſtodiæue nomine, ab alio accipere, retinereue liceat.

DECRETVM. XVI.

QVoniam, qui minoribus ordinibus initiandi ſunt, bonum teſtimonium à ſuis præſertim parochis, et ludimagiſtris haber e debent: ne temere, et imprudenter hi de illis teſtatum faciant, quàm diligentiſſime obſeruent ingenium, mores, uitæq. conſuetudinem puerorum, adoleſcentumue, qui militiæ clericali adſcribendi ſunt, ut, cum uſu uenerit, poſſint, rebus his omnibus ex obſeruatione recte cognitis, teſtimonium de ijs ipſis uerum, certum, exploratumq. afferre.

DECRETVM. XVII.

NE quis parochus, quemquam, habitu heremitico indutum, intra parochiæ ſuæ fines eſſe, degereq. patiatur, niſi eo ueſtitu illum ex epiſcopali ſcripta facultate induiſſe, in primis conſtet. Atque ita quidem epiſcopali conceſſu indutus, in cuius parochiali uicinia moratur, ei parocho, ut ceteri parochiales, ſubiectus, illius item mandatis, præceptisq. obediat.

DECRETVM. XIII.

QVoties ſummum Pontificem, aut Archiepiſcopum Mediolani, prouinciæ Metropolitanum, aut pro-

prium eccleſiæ Vercellenſis Epiſcopum, aut Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, periculoſe ægrotare contigerit: omnes, ſinguliq. ſacerdotes, etiam ſi per litteras moniti non ſint, pro iiſdem, proq. eorum unoquoque, in Miſſæ ſacrificio ſtatis precibus orent: ac præterea priuatis orationibus precentur. Quod ſi item ex hoc ſœculo aliquis eorum migrauerit, pro illius anima, etiam nulla monitione facta, ſacrificia offerant.

DECRETVM XIX.

SEpelire mortuos opus miſericordiæ eſt non minimum, ut ſacrarum litterarum monumenta, et perpetua catholicæ eccleſiæ conſuetudo, ſanctorumq. exempla clariſſime teſtantur. Ad hoc ſepeliendi officium ſacræ cærimoniæ, quæ myſterijs non uacant, ab Apoſtolis, apoſtolicisq. uiris, ſicut ad fidelium pietatem, ita ad ſuffragia defunctorum ſalutariter inſtitutæ ſunt. Quare parochi, ceteriq. ſacerdotes cum ſæpe fideles ad hoc miſericordiæ officium hortentur, ut funus, præter fœminas agnatas, et alias, quæ quaſi quodam lugubri ululatu precum officium interturbant, proſequantur, exequijſq. interſint: tum ipſi illud ea deuotione, ijsq. religioſis precibus, et ſanctis cærimonijs rite ita concelebrent, ut ad rem, quam agunt, intime, pie, animoq. in primis attenti, etiam corporis compoſitione, habitu, atque uultu pietatem, grauitatemq. præ ſe ferentes, quemadmodum decet Dei miniſtros, inuitent alios præſentes non modo ad orationem pro defuncto, ſed

ad

ad meditationem mortis, quæ in ea funeris actione ob oculos unicuique proponitur.

DECRETVM. XX.

QVæcunque uolumina, libri, codices, exemplaria, aliaq. ſcriptionum eccleſiaſticarum antiqua monumenta, qualia qualia ſint, in quibus uel ſacrorum bibliorum lectiones, uel euangelia, uel epiſtolæ ſancti Pauli, aliæq. canonicæ, uel uitæ ſanctorum, uel antiphonæ, uel reſponſoria, uel rituum, cærimoniarumq. rationes, uel alia, quæ ad ſacramentalia, ſacramentaq. miniſtranda pertinent exſcripta ſunt, et omnia denique, quæ eccleſiaſticam rationem, uſumq. attingunt, etiam quæ uitas epiſcoporum enarrant, in eccleſijs, archiuijs, tabularijs, aut alio modo tam publicè, quàm priuatim in ædibus eccleſiaſticis aſſeruata, ne ullo pacto uendantur, donentur, tradantur, alienentur, nec uero extra diœceſim aſportentur. Qui contra fecerit, tamquam grauis culpæ reus, grauiter etiam plectatur.

DECRETVM. XXI.

QVoniam concilio prouinciali primo recte cautum eſt, ut ne fœminarum gentilium, ſed ſanctarum nomina ſanctimonialibus imponantur: ideo ut illa in promptu ſint, utq. illis imponendis certus delectus, ratioq. non ſolum à nobis, uerum etiam à Vicarijs noſtris habeatur, earum indicem alphabeti ordine, ut infra, notari placuit.

A.

S. Adilia uirgo, et Abbatiſſa.	13. Dec.
S. Aemiliana uirgo s. Gregorij Papæ amita.	5. Ian.
S. Afra martyr.	5. Aug.
S. Agape uirgo.	15. Feb.
S. Agatha uirgo, et martyr.	5. Feb.
S. Agathoclia martyr.	17. Sept.
S. Agathonica uirgo, et martyr.	10. Aug.
S. Agilberta Abbatiſſa.	12. Aug.
S. Agnes uirgo, et martyr.	21. Ian.
S. Albina uirgo, et martyr.	16. Dec.
S. Aldegunda uirgo.	30. Ian.
S. Aleida uirgo, et Abbatiſſa.	5. Febr.
S. Alena uirgo, et martyr.	19. Iun.
S. Alexandra uirgo, et martyr.	18. Ma.
S. Amelberga uirgo.	10. Iul.
S. Ammoniaria martyr.	12. Dec.
S. Anaſtaſia uirgo, et martyr.	25. Dec.
S. Anatholia uirgo, et martyr.	9. Iul.
S. Angela uirgo.	3. Ian.
S. Anna beatiſſimæ Mariæ uirginis mater.	26. Iul.
S. Anthea martyr.	18. Ap.
S. Antonia martyr.	4. Maij.
S. Antonina uirgo, et martyr.	3. Maij.
S. Apollonia uirgo, et martyr.	9. Febr.
S. Aquilina uirgo, et martyr.	13. Iunij.
S. Aſella uirgo.	6. Dec.

S. Aſtima uirgo, et martyr.	10. Aug
S. Athanaſia.	14. Aug.
S. Aurea uirgo.	4. Octob.
S. Aurelia uirgo.	4. Octob.
S. Auſtruda uirgo, et Abbatiſſa.	17. Octob.

B.

S. Balbina uirgo.	31. Mart.
S. Balda, Abbatiſſa.	9. Dec.
S. Baldegunda Abbatiſſa.	10. Feb.
S. Barbara uirgo, et martyr.	4. Dec.
S. Baſilla uirgo, et martyr.	20. Maij.
S. Baſiliſſa uirgo.	20. Maij.
S. Baſſa uirgo, et martyr.	10. Aug.
S. Beatrix martyr,	29. Iulij.
S. Benedicta uirgo.	29. Iun.
S. Bibiana uirgo, et martyr.	2. Dec.
S. Brigida matrona.	23. Iulij.
S. Balanda martyr.	10. Maij.
S. Blandina martyr.	2. Iunij.
S. Bona uirgo.	24. Apr.
S. Bonoſa martyr.	15. Iulij.
S. Burgundoſora, uirgo, et Abbatiſſa.	3. Apr.

C.

S. Calliſta martyr.	2. Sept.
S. Candida uirgo.	29. Aug.
S. Capitolina martyr.	27. Octob.
S. Caſſia martyr.	20. Iulij.

S. Ca-

S. Catharina, uirgo, et martyr. . . 25. Nouem.
S. Cœcilia uirgo, et martyr. 22. Nouem.
S. Charitina uirgo, et martyr. . 5. Octob.
S. Chriſtiana uirgo. . 26. Iulij.
S. Chriſtina uirgo, et martyr. 24. Iulij.
S. Cilinia s. Remigij mater. 21. Octob.
S. Clara uirgo. . 12. Auguſt.
S. Clauilia uirgo, et martyr. 18. Maij.
S. Cointha martyr. 8. Febr.
S. Coleta, uirgo monialis. 6. Martij.
S. Columba, uirgo, et martyr. 31. Decem.
S. Concordia, S. Hippolyti martyris nutrix. 13. Auguſt.
S. Conſortia uirgo. 22. Iun.
S. Conſtantia et martyr. 19. Septem.
S. Cordula uirgo. 22. Octob.
S. Cornelia martyr. 31. Martij.
S. Corona uirgo. . 24. Apr.
S. Creſcentia martyr. . 15. Iunij.
S. Creſcentiana martyr. 5. Maij.
S. Criſpina martyr. 5. Decem.
S. Criſtina uirgo, et martyr. . 24. Iulij.
S. Cuthburga uirgo Abbatiſſa. 31. Aug.
S. Cunegunda uirgo, et Imperat. 3. Martij.
S. Cunera uirgo, et martyr. . 28. Octob.
S. Cyriaca martyr. 21. Aug.
S. Cyrilla martyr. 28. Octob.

D.

S. Dafroſia martyr.	4. Ian.
S. Daiua martyr.	6. Decem.
S. Demetria uirgo, et martyr.	21. Iun.
S. Digna uirgo.	11. Aug.
S. Dionyſia martyr.	6. Decem.
S. Domicilla, uirgo, et martyr.	7. Maij.
S. Dominica uirgo, et martyr.	6. Iulij.
S. Donata martyr.	17. Iulij.
S. Dorothea uirgo, et martyr.	6. Febr.
S. Dula uirgo, et martyr.	25. Mart.

E.

S. Eaburga.	15. Iunij.
S. Edilburgo, uirgo Abbatiſſa filia Regis Anglor.	7. Iulij.
S. Ediltruda uirgo.	23. Iunij.
S. Edinia uirgo.	21. Octob.
S. Editha uirgo Abbatiſſa.	16. Septe.
S. Eliſabeth matrona, filia Regis Vngarorum.	19. Noue.
S. Emerentiana uirgo, et martyr.	23. Ian.
S. Eniphana martyr.	12. Iulij.
S. Eugenia, uirgo, et martyr.	25. Dece.
S. Eulalia uirgo, et martyr.	12. Feb.
S. Eunconia martyr.	12. Aug.
S. Euphemia uirgo, et martyr.	16. Septe.
S. Euphraſia uirgo monialis.	13. Mar.
S. Euſebia uirgo, et martyr.	29. Octo.
S. Euſtochia monacha.	13. Febr.

S. Eutropia matrona.	15. *Sept.*
S. Exuperantia uirgo.	26. *Apr.*
S. Exuperia mart.	26. *Iulij.*
F.	
S. Fabiola matrona.	27. *Dec.*
S. Fauſta uirgo, et martyr.	20. *Sept.*
S. Febronia uirgo, et martyr.	23. *Iunij.*
S. Felicitas martyr.	23. *Nou.*
S. Felicola, uirgo, et martyr.	13. *Iun.*
S. Fides uirgo, et martyr.	6. *Octo.*
S. Flauia Domicilla, uirgo, et martyr.	7. *Maij.*
S. Flauiana uirgo, et mart.	5. *Octo.*
S. Flora uirgo, et martyr.	24. *Nou.*
S. Florentia uirgo.	20. *Iun.*
S. Florentiana uirgo.	20. *Iun.*
S. Florida uirgo.	10. *Ian.*
S. Fortunata uirgo, et mart.	14. *Octo.*
S. Franca, uirgo monialis.	21. *Apr.*
S. Franciſca uidua.	9. *Mar.*
S. Fredeſuinda, uirgo.	13. *Octo.*
S. Fuſca uirgo, et martyr.	13. *Feb.*
G.	
S. Galla matrona.	5. *Octo.*
S. Gaudentia uirgo.	30. *Aug.*
S. Generoſa martyr.	17. *Iulij.*
S. Genoueſa uirgo.	3. *Ian.*
S. Georgia uirgo.	15. *Feb.*

S. Ger-

S. Germana mart.	19. *Ianu.*
S. Glodeſinda uirgo.	25. *Iul.*
S. Godeberta uirgo.	11. *April.*
S. Grata uirgo.	1. *Maij.*
S. Guddena, uirgo, et martyr.	18. *Iul.*
S. Gudila uirgo.	8. *Ianu.*

H.

S. Halena uirgo, et martyr.	19. *Iunij.*
S. Helena mater Conſtantini Magni.	18. *Aug.*
S. Hilaria martyr, Afræ marty. mater.	12. *Aug.*
S. Hilda uirgo Abbatiſſa.	17. *Nouem.*
S. Hildegarda uirgo monialis, ordinis Ciſterſienſis.	20. *Apr.*
S. Hildegarda uirgo.	17. *Septemb.*
S. Hiltruda uirgo.	27. *Septemb.*
S. Honorina uirgo, et mart.	27. *Febr.*
S. Honorata uirgo.	11. *Ianu.*
S. Hunegunda uirgo.	25. *Aug.*
S. Hyrena uirgo, et marty.	5. *April.*

I.

S. Ianuaria martyr.	2. *Martij.*
S. Idaberga uirgo.	21. *Maij.*
S. Ida matrona.	4. *Septem.*
S. Illuminata uirgo.	29. *Nouem.*
S. Ioanna.	14. *Maij.*
S. Iphigenia uirgo.	21. *Septem.*
S. Irmgarda uirgo.	4. *Septem.*

S. Irmina uirgo. 24. Decem.
S. Iucunda uirgo. 25. Nouem.
S. Iulia uirgo, et martyr. 21. Iul.
S. Iuliana uirgo, et martyr. 16. Feb.
S. Iuſta martyr. 19. Iul.
S. Iuſtina uirgo, et martyr. 7. Oct.
S. Iutta matrona. 13. Ian.

L.

S. Landrada uirgo. 8. Iulij.
S. Læa matrona. 22. Mart.
S. Laurentia martyr. 8. Octob.
S. Leocadia uirgo, et mart. 9. Decem.
S. Leouuinna martyr. 22. Iulij.
S. Liberata uirgo. 18. Ianu.
S. Lisba uirgo. 28. Septem.
S. Lilioſa martyr. 27. Aug.
S. Lucia, uirgo, et martyr. 13. Decem.
S. Lucilla uirgo, et mart. 31. Octob.
S. Lucina uirgo. 30. Iun.
S. Lucretia uirgo, et martyr. 23. Nouem.
S. Ludgarda uirgo. 16. Iunij.
S. Lutruda, uirgo monialis. 22. Septem.

M.

S. Macaria martyr. 8. Apr.
S. Macrina uirgo. 19. Iulij.
S. Madelberta uirgo. 7. Septem.
S. Magdalena. 22. Iul.
S. Marcella matrona. 31. Ian.

S. Mar-

S. Marcellina uirgo, beati Ambroſij ſoror. 17. Iul.
S. Martia. 3. Martij.
S. Martiana uirgo, et martyr. 9. Ianu.
S. Maria, uirgo uirginum, mater D. N. Ieſu Chriſti. 15. Aug. 6. Sept. 25. Martij, etc.
S. Maria Aegyptiaca. 9. Apr.
S. Marina uirgo, et martyr. 18. Iun.
S. Margarita, uirgo, et martyr. 18. Iun.
S. Martha uirgo. 29. Iulij.
S. Martina, uirgo, et martyr. 1. Ian.
S. Matrona martyr. 15. Martij.
S. Maura uirgo, et martyr. 30. Noue.
S. Maxentia matrona, S. Vigilij Epiſ. mater. 30. Mart.
S. Maxima uirgo. 16. Maij.
S. Milburga uirgo, filia Regis Merciorum. 23. Febr.
S. Mildrada uirgo. 13. Iulij.
S. Modeſta uirgo. 4. Noue.
S. Monica matrona, S. Auguſtini Epiſ. mater. 4. Maij.

N.

S. Natalia martyr. 1. Decem.
S. Noitburga uirgo. 31. Octob.
S Nona matrona. 5. Aug.
S. Numilia, uirgo, et martyr. 22. Octob.
S. Nympha uirgo. 30. Noue.
S. Nymphodora uirgo, et martyr. 10. Septem.

O.

S. Oda Matrona. 23. Octob.
S. Odilia, uirgo Abbatiſſa. 13. Decem.

S. Odrada uirgo. | *3. Nouem.*
S. Oportuna uirgo. | *28. Apr.*

P.

S. Palladia martyr.	*24. Maij.*
S. Paſchaſia, uirgo.	*9. Ian.*
S. Paritia uirgo.	*25. Aug.*
S. Paula matrona.	*27. Ianu.*
S. Paullina uirgo, et marty.	*6. Iunij.*
S. Pelagia, uirgo, et martyr.	*8. Octob.*
S. Perpetua, Matrona.	*4. Nouem.*
S. Perſeueranda, uirgo.	*26. Iunij.*
S. Petronilla uirgo.	*31. Maij.*
S. Philippa martyr.	*20. Sept.*
S. Placilla, Matrona.	*14. Octob.*
S. Placidia uirgo.	*11. Octob.*
S. Polyxena uirgo.	*23. Septem.*
S. Pompoſa, martyr.	*16. Sept.*
S. Potentiana, uirgo, et mar.	*19. Maij.*
S. Praxedes uirgo.	*21. Iulij.*
S. Primitiua uirgo, et mart.	*23. Iulij.*
S. Priſca uirgo.	
S. Proba uirgo.	*28. Apr.*
S. Pulcheria.	*10. Sept.*

Q.

S. Quintilla martyr.	*19. Martij.*
S. Quiriaca martyr.	*21. Auguſt.*
S. Quiteria uirgo, et mart.	*22. Maij.*

S. Ra-

R.

S. Radegunda Regina.	13. Auguſt.
S. Ragenufla uirgo.	14. Iul.
S. Redempta uirgo.	7. Martij.
S. Regina uirgo.	7. Septem.
S. Reginſuinda.	15. Iul.
S. Reparata uirgo.	8. Octob.
S. Reſtituta uirgo, et mart.	27. Maij.
S. Rolenda uirgo.	13. Maij.
S. Romana uirgo.	23. Feb.
S. Roſa uirgo.	4. Sept.
S. Romula uirgo.	24. Iul.
S. Rufina uirgo, et martyr.	10. Iul.
S. Ruſtica mart.	31. Decem.

S.

S. Sabina uirgo, et martyr.	29. Aug.
S. Salaberga uirgo.	22. Septem.
S. Salama.	22. Octob.
S. Saula martyr.	20. Octob.
S. Scholaſtica uirgo.	10. Febr.
S. Sebaſtiana mart.	20. Ianu.
S. Secunda uirgo, et martyr.	10. Iulij.
S. Secundina uirgo, et mart.	15. Ian.
S. Seraphina uirgo.	29. Iulij.
S. Serapia uirgo, et martyr.	3. Septem.
S. Serena martyr.	16. Aug.
S. Seuera uirgo.	20. Iulij.

S. Sesbur-

S. Sesburga Abbatiſsa.	8. Apr.
S. Sicharia uirgo.	2. Febr.
S. Simphoroſa martyr.	27. Iun.
S. Solina uirgo.	13. Octob.
S. Sophia martyr.	30. Sept.
S. Suſanna uirgo.	11. Apr.

T.

S. Tutiana martyr.	12. Ian.
S. Tharſilla uirgo monialis.	24. Decemb.
S. Thecla uirgo, et martyr.	23. Septem.
S. Theodora martyr.	1. Apr.
S. Theodoſia uirgo, et martyr.	2. Apr.
S. Theodota martyr.	2. Aug.
S. Theophila uirgo, et martyr.	28. Decemb.
S. Trifina martyr.	5. Iulij.
S. Trifonia martyr.	18. Octob.

V.

S. Valeria martyr.	28. Apr.
S. Verena uirgo.	29. Aug.
S. Victoria uirgo, et martyr.	23. Decem.
S. Viuiana martyr.	2. Decemb.
S. Vualburga uirgo.	1. Maij.
S. Vualdetruda uidua.	3. Febr.
S. Venefrida.	14. Aug.
S. Viuiana uirgo monialis.	17. Decem.
S. Vrſula uirgo, et mart.	21. Octob.

S. Zeno-

Z.

S. Zenobia martyr. 30. Octob.
S. Zoſima martyr. 15. Iulij.

DECRETVM. XXII.

SCelus eſt maximum, et nefarium illorum facinus, neque ulla ratione ferendum, qui, infirmitate accedente, ut ſalutare fortaſſe confeſſionis præceptum effugiant, chriſtianis Medicis omiſſis, hæbreos, uel infideles, inter quos illos etiam, qui hæreſis labe ſuſpecti, ſi qui fuerint, comprehendimus, ad ſuarum ægritudinum curam accerſunt, et admittunt. Horum audaciam coercere uolentes, decernimus, ex Gregorij XIII. Papæ conſtitutionis præſcripto, ne ei, qui hæbreum, uel infidelem huiuſmodi ad ſibi, uel ſuorum alicui, alijſque quibuſuis medendum aduocarit, aut admiſerit, ſeu admitti permiſerit, ſacramenta eccleſiaſtica, ne à regularibus quidem exemptis, miniſtrentur. Cui, ſic decedenti, eccleſiaſtica denegetur ſepultura. Eam autem pontificiam conſtitutionem, quam ad horum decretorum finem impreſſam adiungi uoluimus, in urbe et diœceſis locis, ubi huiuſmodi infideles morantur, prima Quadrageſſimæ dominica omninò concionatores, et Parochi in ſuis eccleſiis, dum populus frequens fuerit, euulgent.

DECRETVM. XXIII.

COncilij ſexti Prouincialis decreta, quæ in noſtra hac Synodo euulgari iuſſimus, eccleſiaſticus unuſquiſque

ſibi

ſibi comparet intra menſem, illaq. et reliquarum etiam prouincialium, et diœceſanarum synodorum conſtitutiones ſæpe per legat, in uſumq. deducat.

DECRETVM. XXVI.

HAec ſunt decreta, quæ in diœceſana noſtra synodo undecima promulgari mandauimus. Quicunque contra ea, ullo modo fecerit, is pœnis, mulctisq. plectetur, quæ in ijs præſcriptæ ſunt, pœnaſq. item alias luet, ex eccleſiaſticis synodalibus alijs conſtitutionibus, et canonum iure, pro culpæ ratione, arbitratu noſtro præſcribendas.

Laus Deo.

SVN.

SANCTIONES PONTIFICIAE

Quarum ſupra mentio fit.

DE BLASPHEMIIS, ET FLAGITIIS *Iudæorum, in quæ, hæreticæ prauitatis Inquiſitores animaduertunt.*

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ANTIQVA Iudæorum improbitas, qua diuinæ bonitati ſemper reſtiterunt, tanto execratior conſiſtit in filijs, quantò ipſi ad cumulandam patrum ſuorum menſuram in Dei filio repudiando, eiuſque in mortem nefarie conſpirando grauius deliquerunt: qui propterea ſuis effecti maioribus nequiores, proprij, ſedibus expulſi, atque in omnes diſperſi orbis terrarum regiones, ſeruitutiq. perpetuæ mancipati, non maiorem in cuiuſquam ditione clementiam, quam in Chriſtianorum Prouincijs, maxime uerò in Apoſtolicæ pietatis gremio inuenerunt; quæ pro eorum conuerſione laborans, eos miſericorditer excepit, atque in cohabitatione vnà cum filijs ſuis ſuſtinuit, ad ueritatiſq. lumen allicere pio ſemper ſtudio conata eſt, rebuſq. ad uitam neceſſarijs iuuit, iniurijs, et contumelijs prohibuit; multis denique beneficentiæ ſuæ priuilegijs circummuniuit: illi uero nullis beneficijs, manſuefacti, nihilq. de ſuo priſtino ſcelere remittentes, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in cœlo triumphantem adhuc in ſynagogis ſuis, et ubique perſequuntur: Chriſti quoque membris infenſiſsimi, non deſinunt in religionem Chriſtianam horrenda facinora quotidie magis audere; quibus nos, ne pietatis noſtræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipijs Chriſto, Chriſtianorumue nomini impune illudatur obuiare uolentes, Statuimus, ac etiam declaramus, Inquiſitores hæreticæ prauitatis, libere procedere poſſe in omnibus cauſis, et caſibus, qui ſequuntur. Si quis Iudæus, aut infidelis in ijs, quæ circa fidem cum illis nobis ſunt communia, ueluti Deum unum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium uiſibilium, et inuiſibilium, et ſimilia non eſſe aſſeruerit, prædicauerit, uel priuatim alicui inſinuauerit. Si dæmones inuocauerit, conſulueritue, aut eorum reſponſa acceperit, ad illosue ſacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamue cauſam direxerit, aut quid eis immolauerit, uel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obſequia præſtiterit. Si Chriſtianos uerbo, facto, uel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiuſmodi docuerit, uel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit. Si Saluatorem, et Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum purum hominem, uel etiam peccatorem fuiſſe, Matremue Dei non eſſe Virginem, et aliàs huiuſmodi blaſphemias, quæ per ſe

hæreticæ dici ſolent, in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit. Si cuiuſuis eorum opera, auxilio, conſilio, uel fauore aliquis Chriſtianus à fide deſciuerit, quamq. ſemel ſuſceperat, abnegauerit, uel ad Iudæorum, ſeu aliorum infidelium ritus, ceremonias, ſuperſtitiones, uel impias ſectas tranſierit; uel redierit, ſeu in hæreſim aliquam inciderit; aut qui, ut Chriſti fidem abneget, ſeu in hæreſim, incidat, opem, conſilium, auxilium, uel fauorem quomodocunque præſtiterit. Si quis Catechumenum, uel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus, Deo inſpirante, ad fidem Chriſtianam uenire uolentem, poſt declaratam nutu, uerbo facto, aut quocunque alio modo eius uoluntatem à fide, uel fidei inſtructione: aut à ſacri baptiſmi ſuſceptione, retrahere, auertere, uel dehortati, aut ne ad fidem ueniat, neue regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit. Si quis apoſtatas, hæreticosue ſcienter domi ſuæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, ſeu quouis modo eis cibaria ubicunque præbuerit, aut dona, uel munera dederit, uel miſerit, aut de loco ad locum deduxerit, ſeu aſſociauerit, uel deducendos, ſeu aſſociandos curauerit, aut ſumptus miniſtrauerit, Duces comiteſue illis adiunxerit, uel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inueſtigari queant, fecerit. Quinque dictos apoſtatas, aut hæreticos ſcienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, conſilium, auxilium, uel fauorem quomodolibet præſtiterit. Si libros hæreticos, uel thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, cuſtodierit, uel diuulgauerit, uel in quæcunque loca detulerit, aut ad eam rem operam ſuam accomodauerit. Si Chriſtianos deriſerit, redemptioniſq; noſtræ hoſtiam ſalutarem in ara crucis immolatam, Chriſtum Dominum ludibrio, et deſpectui habens, quandocunque, maxime uero in ſacro Paraſceues die agnum, ſiue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamue conſpurit, ſeu quodcunque contra ipſam fecerit. Si nutrices Chriſtianas contra ſacrorum Canonum ſtatuta, diuerſorumque Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum, ſanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, lac uno, uel pluribus diebus in latrinas, cloacas, uel alia loca effundere coegerit. In quibus caſibus uniuerſis, et ſingulis omnes prædictæ prauitatis Inquiſitores omnium Regnorum, Prouinciarum: Ciuitatum, Dominiorum, et locorum uniuerſi orbis Chriſtiani Iudices in ſuis quenque locis perpetuo delegamus, ut ſuper his contra Iudæos, atque infideles quoſcunque ſimul, uel ſeparatim, prout in cauſis fidei iuxta ſacrorum canonum formam, necnon officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, diligenter inquirant, et procedant, et quos in aliquo uel aliquibus horum flagitiorum exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, uel multiplicatione, aut conſuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque attrociora decernant, et aliàs de eis exempla edant, quæ ſceleratos illos deterreant ab huiuſmodi flagitijs in poſterum admittendis. Nos enim uenerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et alijs locorum Prælatis, ac etiam alijs prædictis Inquiſitoribus in uirtute ſanctæ obedientiæ diſtrictæ præcipimus, et mandamus, ut præſentes noſtras litteras in Ciuitatibus, et locis cuique ſubiectis publicare, et iuxra illarum tenorem procedere, ipſaſque debitæ executioni mandare procurent. Decernentes irritum, et inane, quicquid ſecus per quoſcunque ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari. Non ob-

ſtantibus

ſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibu Apoſtolicis, necnon exemptionibus, priuilegijs immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, et tolerantijs prædictis, Iudæis, et alijs infidelibus, Maranis, et Apoſtatis, tam in Dominijs, Terris, et locis noſtris, et ſedi Apoſtolicæ mediate, uel immediate ſubiectis, quam alia ubicunque Regnorum, Prouinciarum, et Dominiorum, gentium, et locorum commorantibus, uel in ea ex quibuſuis Regnis, et partibus tàm fidelium quàm infidelium confluentibus, eorumq; Iudicibus, Aduocatis, et defenſoribus quacunque auctoritate, poteſtate, et dignitate fungantur, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, et quorumuis aliorum Principum tam per fel. rec. Paulum III. Decimo Cal. Martij, et Iulium etiam III. Non. Decemb. Tertio anno ſui cuiuſque Pontificatus, quàm etiam quoſcunque alios anteriores, et poſteriores Romanos Pontifices, ac nos, et ſedem Apoſtolicam, eiuſque legatos, ac etiam Cameram Apoſtolicam ſub quibuſcunq; tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis clauſulis, et decretis, etiam Motu proprio, et alias quomodocunque hactenus conceſſis, confirmatis, et innouatis, atque in poſterum concedendis, confirmandis, et innouandis, quæ omnia, etiam ſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiuidua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi ad uerbum inſererentur præſentibus pro plenè expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter, et expreſſe reuocamus, abrogamus, et omnino abolemus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem præſentes in locis urbis conſuetis de more publicari, et earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici, et ſigillo Sanctæ Romanæ, et uniuerſalis Inquiſitionis, uel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem ubi que tam in iudicio, quam extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus ſi eſſent exhibitæ, uel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, declarationis, delegationis, præcepti, mandati, decreti, reuocationis, abrogationis, abolitionis, et uoluntatis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, Kl. Iunij. Pontificatus N. Anno Decimo.

M. Datarius.

Cæſ. Glorierius.

A. de Alexijs.

DECLARATIO

Super facultate, quam habent ordinarij, et alij monialium Superiores ingrediendi earum monaſteria.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

DVBIIS, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur ſuper eo, quod optima primum ratione Concilium ſanxit Tridentinum, deinde in conſtitutione fe. re. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri nonis Iulij Pontificatus ſui anno tertio, atque item noſtra idibus Iunij Pontificatus noſtri anno quarto editis, fuit prouiſum, ne cui in poſterum, niſi in caſibus neceſſariis ſepta monaſteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuiſſe ſciamus circa perſonas, quæ alterius ad id licentia non indigent: ſed ſui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito ſuæ uoluntatis huiuſmodi ſepta ingredi, uel potius ſeruare debeant ipſi quoque regulam à Concilio præſcriptam. Nos omnem hæſitationis materiam tollere, et uiam ſcandalis præcidere, ac ſanctimonialium quieti conſulere uolentes, harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus Prælatos omnes tam ſeculares quam regulares, quibus cura, et regimen monaſteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi monaſteria prædicta ita demum uti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, et à paucis, iiſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. Quocirca uniuerſos, et ſingulos Epiſcopali, ſeu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis ordinum Abbates, Præpoſitos, Priores Miniſtros, et alios quoſcunque Superiores regulares ſerio monemus, ut facultate huiuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus, ut præfertur, neceſſariis neutiquam utantur. Quod ſi contrafecerint, eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima uice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali, et à diuinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, regulares uero omni officio, ac miniſterio priuatos, excommunicationi ſimiliter ſubiacere. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus, et prouincialibus conciliis editis generalibus, uel ſpecialibus conſtitutionibus, et ordinationibus, priuilegiis quoque, indultis, et literis Apoſtolicis quibuſuis Eccleſiis, earumue Prælatis, aut Ordinibus in genere, uel in ſpecie ſub quibuſcunque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, et inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis quouis modo conceſſis, approbatis, et innouatis, etiam ſi illis caueretur expreſſe, quòd nemo interdici, ſuſpendi, uel excommunicari poſſet per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem, quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac ſi de uerbo ad uerbum inſererentur præſentibus, ſpecialiter, et expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Quoniam uero difficile eſſet

ſet

ſet præſentes ad ſingula loca perferri, uolumus earum exemplis etiam impreſſis, manuque Notarii publici, ac ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, et extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ uel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris Die xxiii. Decembris. M. D. LXXXI. Pontificatus noſtri Anno decimo.

Cæſ. Glorierius.

LITTERAE
S. D. N. GREGORII PAPAE XIII.
Innouationis conſtitutionum Pauli IIII. & Pij V. contra medicos Hebræos.

Et illarum extenſionis ad eos qui Medicos Hebræos, uel infideles ad Chriſtianorum curam uocant, admittunt, uel eiſdem medendi licentiam concedunt.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALIAS piæ me. Paulus Papa IIII. prædeceſſor noſter edita perpetua conſtitutione inter alia ſanciuit, ne Medici Iudæi etiam uocati, et rogati ad Chriſtianorum ægrotantium curam accedere, aut illi intereſſe poſſent: quam conſtitutionem poſtea Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter per ſuas litteras approbauit, innouauit, et confirmauit, et robur perpetuæ firmitatis obtinere decreuit: ac uoluit, et ſub interminatione diuini iudicii præcepit, et mandauit, omnia in eadem conſtitutione contenta in poſterum firmiter obſeruari non ſolum in Terris, et Dominiis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectis, ſed etiam ubique locorum. Quia tamen nobis non ſine magna animi noſtri moleſtia innotuit, ea minime obſeruari, ſed multos adhuc ex Chriſtianis hominibus eſſe, qui dum ſuos corporum languores illicitis mediis, et præcipue Iudæorum, ac aliorum infidelium opera ſanari cupiunt, ueræ ſalutis animarum ſuarum; et corporum ſimul immemores fiunt, et (quod ualde dolendum eſt) in damnationis æternæ maximum ſæpe diſcrimen incidunt, medicis Iudæis, et infidelibus huiuſmodi ad ipſorum curationem uocatis, et adhibitis: unde fit, ut et Iudæis, ac aliis infidelibus magna detur delinquendi occaſio, et ſimul ſalutare præceptum negligatur ab Innocentio Papa III. ſimiliter prædeceſſore noſtro in Concilio generali quondam emiſſum, et deinde, à prædicto Pio V. innouatum, quod omnes medici cum ad infirmos in lecto iacentes uocati eſſent, ipſos ante omnia monerent, ut idoneo confeſſori omnia pec

cata ſua

cata ſua iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ confiterentur, neque tertio die
ulterius eos uiſitarent, niſi longius tempus infirmo confeſſor ob aliquam rationa-
bilem cauſam, ſuper quo eius conſcientia onerabatur. conceſſiſſet, et eis per fi-
dem confeſſoris in ſcriptis factam conſtaret, quod infirmi peccata ſua confeſſi
fuiſſent. Idcirco nos tam Iudæos, qui aduerſus mandata huiuſmodi apoſtolica
committere audent, quam Chriſtianos qui illos ad ſe accerſunt, uel medendi
licentiam concedunt, et uiam ad delinquendum eiſdem aperiunt, coercere uo-
lentes, ſupradictas prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones auctoritate apo-
ſtolica tenore præſentium approbamus, confirmamus, et innouamus, ac inuio-
labiter obſeruari mandamus, atque hac noſtra in perpetuum ualitura conſtitu-
tione, eiſdem conſtitutionibus, et præceptis pro firmiori illorum obſeruatione
addentes, uniuerſis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus diſtricte inhibemus, et inter
dicimus, ne poſthac Iudæos, uel alios infideles ad ipſorum Chriſtianorum ægro-
tantium, et infirmorum curam uocent, ſeu admittant, aut uocari, ad mittiue fa
ciant, concedant, uel permittant. Mandantes propterea omnibus, et ſingulis
uenerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, et Epi-
ſcopis, nec non dilectis filiis aliis locorum ordinariis, et quibus uis Parochis, a-
liiſue animarum curam habentibus, et exercentibus, ſub indignationis noſtræ,
ac aliis arbitrio noſtro infligendis pœnis, ut præſentes noſtras litteras in ſuis ec-
cleſiis, quæ in illis ciuitatibus, uel diœceſibus conſtitutæ ſunt, in quibus Hebræi,
uel alii infideles moram trahunt, quam primum ad eos perlatæ fuerint, et dein-
de ſingulis annis initio quadrageſimalis ieiunii publicent, aut publicari faciant,
et quod ſi quis poſt earum publicationem etiam quomodolibet exemptus ac cu-
iuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ exiſtens, aduer-
ſus illa facere auſus fuerit, ſacramenta ei eccleſiaſtica nullatenus miniſtrentur,
nec etiam à regularibus exemptis: et ſic decedens, eccleſiaſtica careat ſepultu-
ra; quæ quidem omnia parochi ægrotantibus ſignificare apto tempore non omit
tant, præſertim cum Iudæum, uel infidelem medicum ab eis admiſſum eſſe co-
gnouerint, et alias ipſi locorum ordinarii contra huius mandati tranſgreſſores
debita animaduerſione procedant: Iudæosque ipſos nihilominus iuxta Pauli, et
Pii Pontificum prædictorum literas contra illos editas pro earum tranſgreſſione
puniant. Non obſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, ac
omnibus illis, quæ iidem Paulus et Pius in ſuis litteris præuidictis uoluerunt non
obſtare, priuilegiis quoque, indultis, et litteris apoſtolicis quibus perſonis etiam
regularibus, priuilegiatis, et exemptis, eorumue ordinibus, et congregationibus
ſub quibuſcunque tenoribus, et formis, etiam Mari Magno, ſeu bulla aurea nun
cupata, ac cum quibuſuis clauſulis, et decretis in genere uel in ſpecie, ac alias in
contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, et innouatis, quibus omnibus,
etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis ſpecialis, ſpecifica, ex-
preſſa, et indiuidua mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia
exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de uerbo ad uerbum
nihil penitus omiſſo, et forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſenti-
bus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac
uice dumtaxat ſpecialiter, et expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque.
Seu ſi aliquibus communiter uel diuiſim ab apoſtolica ſit ſede indultum, quod
interdici, ſuſpendi, uel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non
facientes plenam, et expreſſam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiuſmodi
mentionem. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca

deferri,

deferri, uolumus, et declaramus quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, et manu alicuis Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubicunque habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, uel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Martij. M. D. LXXXI. Pontificatus noſtri anno nono.

Cæſ. Glorierius.

FINIS.

deferri, nolumus, et declaramus quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, et manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſone in dignitate eccleſiaſtica conſtitute munitis, eadem prorſus fides ubicunque habeatur, que preſentibus haberetur, ſi forent exhibite, uel oſtenſe. Dat. Rome apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Martij. M. D. LXXXI. Pontificatus noſtri anno nono.

Caeſ. Glorierius.

FINIS.

AMM. PROV. DI ... No 9684